# DIES DECIMA OCTAVA SEPTEMBRIS
# DE S. JOSEPHO A CUPERTINO
# ORDINIS MINORUM
# CONVENTUALIUM S. FRANCISCI
# PRESBYTERO,
# AUXIMI IN MARCHIA ANCONITANA,
# COMMENTARIUS PRÆVIUS.

## COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Josephus a Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci presbyter, Auximi in Marchia Anconitana

§ I. Vitæ illius Italice scriptæ, quarum una edenda, aliæ usui futuræ: humiles natales ejus, & vitæ chronotaxis usque ad susceptum sacerdotium.

Seculum proxime elapsum anno 1603, [Vitam ejus scripserunt Italice Nutius,] die XVII mensis Junii mundo dedit, annoque 1663, die XVIII Septembris ad cælum emisit B. Josephum Desa, a natali loco, regni Neapolitani oppido, dictum a Cupertino, Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci professum presbyterum & illustre ornamentum. Eumdem Benedictus XIV, Romanus Pontifex feliciter regnans, sanctitatis fama & miraculis tam in vita, quam post obitum celebrem anno 1753, die XX Februarii signato Brevi Beatorum Fastis adscripsit. Vitam ejus anno 1678, id est, quintodecimo post ejusdem mortem, Panormi Italice editam fuisse a P. Roberto Nutio, didici ex epistola P. Benigni Fremaut, [Col. 0992F] Ordinis Recollectorum S. Francisci, qui eadem usus est in generali Legenda Sanctorum sui Ordinis Flandrice edita. Non exstat quidem in Museo nostro laudatum Nutii

Opusculum; verum eam inopiam satis pensant Vitæ mox laudandæ, ex authenticis monumentis concinnatæ.

[2] [Berninus, Agellus & Pastrovichius,] Harum primam Italico idiomate conscripsit, & Innocentio XIII summo Pontifici dicatam, anno 1722 Romanis typis edidit clarissimus vir ac comes Dominicus Berninus, quam in Monito ad lectorem præfatur, se collegisse partim ex processibus Apostolicis, Neritonensi, Assisiensi & Auximano, pro ejusdem Josephi beatificatione instructis, quos in margine perpetuo laudat, partim ex authenticis Mss., quibus in prædictis processibus fidem habitam fuisse affirmat. Celebris Bernini Opus in justæ molis compendium contraxit, & serenissimo archiduci Austriæ Josepho nuncupatum, Italice pariter anno 1753 vulgavit Liburni Paulus Antonius Agellus, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, & sanctæ fidei inquisitor, addiditque capite ultimo viginti duo miracula vel beneficia, quæ omnia, uno excepto, post editum a Bernino librum contigerant, & authenticis instrumentis fuerant consignata. Aliam denuo Vitam Italico sermone compendiose Romæ edidit eodem anno 1753 pater magister Angelus Pastrovicchi, ejusdem Ordinis definitor perpetuus ac sacri Officii qualificator, cujus exemplaria in solemnitate beatificationis ejusdem in Vaticana S. Petri basilica distributa fuere, nobisque ibidem tum præsentibus etiam donata.

[3] Libello præfixa est præfatio reverendissimi patris Caroli Antonii Calvi, [& horum ultimus ex solis processibus,] Ministri generalis laudati Ordinis, ad summum Pontificem Benedictum XIV, cui ea Vita dicata est, in qua de ratione & fide in scribendo adhibita sic loquitur: Egregia hujus celebris sanctæ Ecclesiæ Herois gesta in pauca folia contracta sunt plano ac simplici stilo & sine ullo ornatu, qui nimia sua pompa veritatem possit adulterare. Ne vero extraordinaria rerum magnitudo, licet

succincte narratarum, humanam fidem excedat, singulæ factorum relationes authentice firmatæ sunt testimoniis eorum, qui ea in processibus ordinariis & Apostolicis cum juramento asseruerunt, locis testimoniorum eorumdem in margine accurate adscriptis. Ita Beatitudo vestra pro eximia sua perspicacia faciendum esse, sapienter mihi insinuare dignata est, atque ita religiose exsecutioni mandatum est. Hactenus reverendissimus pater Calvi. Et sane ea cautio prudenter adhibita est; cum enim propheticum istud psalmi 67, Mirabilis Deus in Sanctis suis, singulari quodam modo in B. Josephum nostrum conveniat, par erat, ut tam extraordinaria ejusdem gesta iis testimoniis legitime exceptis firmarentur, quibus nemo fidem facile merito abneget; aliaque omitterentur potius, quam sine sat solidis veritatis argumentis rigidiorum cavillis objicerentur.

[4] Hinc ego quoque sapientissimi Pontificis monita lubens sequar, [quam dabimus, ex aliis etiam aliqua recensuri.] ideoque comitis Bernini utut præclaro Opere, ejusdemque Compendio præteritis, Romanum istud Pastrovicchii Compendium Latine vulgabo, & processuum locos, in margine laudatos, inter Annotata recensebo, ut singulis relationibus sua stet fides & auctoritas. Id quoque in versione Latina religiose curabo, ut Italico exemplari presse inhæream; dabitque, ut spero, æquus lector veniam, quod stilo propterea humiliori ac subinde etiam vocibus minus Latinis utar, de veritate magis, quam de sermone sollicitus. Nec inutilis tamen mihi erit Bernini labor, ex quo nonnulla, quæ in Vita edenda ex brevitatis studio minus clara sunt, in Commentario illustrabo. Miracula quoque aliquot post Beati mortem impetrata & a fide dignis testibus firmata, quæ prolixitatis vitandæ ergo in laudata Vita prætermissa fuerunt, post eamdem subjiciam. Ex Agelli etiam Opusculo cetera recentiora miracula vel beneficia, de quibus num. 2 memini, reliquis subtexam. Porro præter jam laudatos scriptores aliquot

alii, & inter hosce nonnulli etiam Beato synchroni, ac præsertim Laurentius Cardinalis de Lauræa, de eodem honorifice meminerunt, quos Berninus cap. 32 recenset, & nos aliquoties laudabimus.

[5] Licet Vita edenda accuratius scripta sit, quam ut prolixo Commentario egeat, juverit tamen totam Beati vitæ seriem; puta, natale solum & tempus, parentes, variam ætatem, domicilia, ceteraque hujusmodi ordine chronologico breviter percurrisse, prætermissis factis particularibus, [Cupertini ex parentibus pauperibus anno 1603] nisi ubi ea aut obscurius a Pastrovicchio tractata fuerint, aut etiam brevitatis studio prætermissa. Josepho patria obtigit Cupertinum, indigenis Copertino dictum, oppidum regni Neapolitani in provincia Hydruntina ac diœcesi Neritonensi, vulgo di Nardo, inter quam civitatem & Aletium, incolis Leccie, situm notatur in Tabulis Frederici de Wit. Berninus addit, Cupertinum illustris familiæ Pinellianæ marchionatum esse. In hoc loco beatus Puer primam lucem aspexit anno 1603, die XVII Junii, ut habent omnes tres Vitæ Italicæ. Eædem consentiunt de ejusdem parentibus, quos pauperes, sed honestos fuisse affirmant, & patrem quidem Felicem Desa, matrem Franciscam Panara appellatos.

[6] De patre præterea tradit Berninus, [natus in stabulo] eum fabrum lignarium fuisse, sed moribus adeo compositis & urbanis, ut in omnium gratia esset, præsertim vero marchionis domini sui, a quo is cum castelli, quod ibidem habebat, curam accepisset, Castellanus vulgo dictus est. Porro Josephum nostrum in stabulo natum esse, omnes pariter biographi consentiunt, cujus rei causam Fremautius ac Berninus produnt fuisse matris metum a ministris publicis, quibus propter debita, a marito fidem suam pro aliis obstringendo contracta, domum suam invadentibus, ipsa in stabulum confugit, ubi a partus angustiis deprehensa, eum feliciter enixa est.

Eodem teste Bernino, beatus Infans Cupertini in ecclesia, cui S. Mariæ a Nive nomen est, baptizatus fuit, ac postea Sacramento Confirmationis initiatus. Fremautius præter nomen Josephi etiam Mariæ, more Italis satis usitato, in baptismo eidem inditum affirmat.

[7] [& a matre severe educatus,] Quod ad educationem pertinet, ea pia, sed severa fuit sub rigida matris disciplina. Hæc enim, ut habet Berninus, laudans Summarium processuum fol. 23, num. 9, C., § 6, 8 & sequenti, aliis omnino, quam maritus, moribus erat, parci scilicet sermonis gravisque censuræ, & admodum religiosa mulier, ita ut aspera potius quam accurata, etiam in recte factis haberetur. Hinc nulla in Filio errata, licet hæc ætatis potius quam animi essent, impunita ferebat, tantumque in eo concivit sui timorem, ut is postmodum dicere solitus sit, sibi in Religioso Ordine tirocinio opus non fuisse, quod sub matris ferula jam satis superque exegisset. Berninus, laudato in margine Summarii folio 25, num. 10, § 7, dicat: Testantur processus, ipsum in puerili etiam quinque annorum ætate tam eximia sanctitatis indicia dedisse, ut præter ætatem nihil ei deesset, quo minus velut perfectus vir in omnibus operibus suis honoraretur.

[8] [a Minoribus Conventualibus repulsus, a Capucinis inter laïcos] Dum per ætatem ac valetudinem licuit, sutrinum exercuit victus comparandi causa, inquit Berninus, laudans Summarium fol. 26, num. 10, § XI. Anno vitæ suæ decimo septimo beatus Juvenis perfectionis cupidus, in Ordinem Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci admitti flagitavit; idque eo facilius obtenturum se sperabat, quod in eo Ordine Francischinum Desam patruum suum, & Joannem Donatum avunculum haberet, ambos presbyteros, & ultimum etiam magisterio & doctrina spectabilem. Horum priori consilium suum desideriumque exposuit: verum is, ac forte uterque, ut

habet Berninus, quod Josephum litteris minime imbutum, ideoque ad suscipiendum aliquando sacerdotium ineptum sciret, ejus preces repulit, spemque omnem potiundi voti præcidit. Afflictus repulsa Juvenis, ad Capucinos animum adjecit, obtinuitque ab eorum Provinciali, quem Berninus Antonium Francavilla appellat, ut inter sui Ordinis laïcos adoptaretur.

[9] Sacro itaque habitu anno 1620 (mensem Augustum addit Berninus) in oppido Martinæ, [ad tirocinium admittitur, ac deinde domum remittitur.] Tarentinæ diœcesis in provincia Hydruntina, qua Bariano agro adjacet, apud patres Capucinos indutus & novitiis laïcis adscriptus fuit, frater Stephanus appellatus. In hoc tirocinio octo mensibus exercitatus, uti ex processibus docet Pastrovicchius, inde dimissus est. Dimittendi causa fuerunt quidam in domesticis ministeriis defectus, ob quos ad solita suæ conditionis officia ineptus judicabatur, quosque alii naturali oculorum vitio, alii menti in Deum perpetuo defixæ adscripserunt. Berninus præter ea, quæ in Vita edenda allegantur, scribit, in altero illius genuum ex frequenti illorum ad terram affrictu tumorem enatum, quem ipse seu parum de malo sollicitus, seu de futuro securus, cultro absciderit, ceteram curam Deo committens; & Deum quidem subitam ipsi medelam tulisse, at Josephum tamen tum propter incisum tumorem & emaceratam faciem, tum propter vitam perpetuo contemplativam semper minus minusque aptum visum esse ad sui Ordinis exercitia, ideoque, Deo ita disponente, domum suam remissum.

[10] Missionem hanc circa finem Martii aut inchoatum Aprilem anni 1621 contigisse colligitur ex eo, [Zutor Tertiarios oblatos Minorum Conventualium] quod Sanctus ad matrem suam redire non ausus, Vetraram se contulerit ad patruum suum Minorem Conventualem, qui ibi conciones per eam Quadragesimam habebat, quique

illum severe excepit, deinde tamen commiseratione motus, aliquo tempore apud se retentum, post Pascha, quod illo anno die XI Aprilis celebratum fuit, Cupertinum secreto reduxit, ubi non mitiora a rigida matre (nam pater diem suum jam obierat) ipsi audienda fuere. Non comperi, quanto tempore in maternis ædibus tum permanserit; verum illa precibus lacrymisque apud fratrem suum Donatum, aliosque patres Conventuales tantum effecit, ut ille in eorumdem conventu S. Mariæ Cryptellæ, seu della Grottella, laïcis, quos Oblatos Tertiarios vocant, adscriptus tandem fuerit.

[11] Hic conventus, sesqui milliari ab oppido Cupertino dissitus, [in conventu Cryptellæ recipitur;] sic dictus est ab antiqua magnæ Dei Matris Mariæ imagine, in quodam specu subterraneo anno 1540 reperta, quem specum, sive cryptam clerus Cupertinus in quoddam pium sacellum convertit, Cæsar vero Bovius Neritonensis episcopus anno 1557 in ecclesiam, quam Hieronymus de Franchis, ejusdem sedis episcopus, anno 1618 patribus Minoribus Conventualibus concessit, qui sui Ordinis cœnobium eidem adjecerunt. Ita, sed paulo pluribus Berninus, ex cujus fide hæc recensuimus. Apud Ughellum tom. 1 Italiæ sacræ auctæ, col. 1055 de Cæsare Bovio inter cetera legitur: Ecclesiam S. Mariæ, cui a Cryptella nomen est, extra Cupertini mœnia positam, una cum conjunctis ædibus magnificentissime erexit. Hæc de eo loco referenda censui, quod is, uti ex Vita patebit, propter celebrem illam sanctissimæ Dei Genitricis iconem B. Josepho nostro in primis carus fuerit. In hoc itaque conventu Beatus in habitu Oblati Tertiarii stabuli usibus addictus, mulæ domesticæ curam gessit, & avunculo suo patri Joanni Donato aliquo tempore socius datus est.

[12] [deinde inter clericos novitios, professionem emittit, initiatur] Verum in tam humili conditione ac ministerio tantis eluxit virtutibus, ut ipsi Religiosi in suis comitiis

provincialibus Alti-Muri, quæ Bariani agri exigua civitas est, indigenis Alta-Mura dicta, instrterint, impetraverintque, ut die XIX Junii anni 1625, qui ætatis ipsius vigesimus tertius erat a paucis diebus inchoatus, clericorum Ordinis sui habitu indutus, inter tirones conventus Cryptellæ, retento Josephi nomine, cooptaretur. Tirocinii tempore, quod ipsis annuum est, præter solita Religiosa exercitia, litterarum studium, quibus ad sacerdotium sese aptum redderet, ex superiorum mandato cordi habuit; sed in hoc admodum parum profecit. Fecit tamen ejusdem virtutum splendor, ut sequenti anno, qui fuit Christi 1626, ad Religiosam professionem admitteretur. Anno Christi 1627, die XXX Januarii, sine ullo prævio examine, ab Hieronymo de Franchis, Neritonensi episcopo, minoribus Ordinibus, die vero XXVII Februarii ejusdem anni subdiaconatu initiatus fuit.

[13] [sacris Ordinibus & sacerdotio.] Diaconatum eodem pariter anno, die XX Martii suscepit, præmisso quidem examine, sed felici prorsus eventu. Nam cum illud solum Euangelium, Beatus venter, qui te portavit &c. longo studio didicisset, Neritonensis episcopus, divina ita disponente providentia, id ipsum ei explicandum dedit. Sacerdotio denique a Joanne Baptista Deti, episcopo Castrensi, cujus sedes Castrum est, civitas archiepiscopo Hydruntino suffraganea, initiatus est anno 1628, die XXVIII Martii, sine ullo rursus examine, ut suo loco in Vita videbimus. Cur autem Castri potius, quam Neriti, in cujus diœcesi conventus Cryptellæ situs est, postremum hunc sacrum Ordinem susceperit, exploratum non habeo. Annum diemque ex Pastrovicchio retuli; nam Berninus, & post hunc Agellus, de anno quidem conveniunt, sed diem IV Martii signant. Celebrabatur autem illo anno Pascha die XXIII Aprilis, adeoque neuter ex assignatis diebus in Quatuor tempora incidit: malo tamen Vitæ edendæ, dum veritatem aliunde assequi nequeo, inhærere.

[14] [Monumentum Ordinum ab eo susceptorum Neriti.] Porro Berninus exstare asserit in sacello episcopi Neritonensis monumentum Ordinum a B. Josepho, & insigni viro Joanne Felice Marzano, ibidem susceptorum, recitatque hoc modo: Vetustum episcopii sacellum, Deo in honorem B. Mariæ Virginis dicatum, ubi gemina Neritinæ diœcesis lumina, civesque Cupertinenses, insignis vitæ sanctimonia & divinis muneribus clari, Joannes Felix Marzanus, qui Prædicat. Ordinem ingressus, Thomæ Mariæ nomen assumpsit, a Cæsare Bovio episcopo prima tonsura, & F. Joseph Desa, Ordinis Minorum Conventualium, a Hieronymo de Franchis episcopo prima tonsura, minoribus Ordinibus, subdiaconatu & diaconatu sunt insigniti, Antonius Sanfelicius episcopus decentius ornavit, & quo venerabilius sit posteritati, monimentum posuit.

§ II. Magnis animi angustiis biennio exercetur, & mirabiliter liberatur: accersitur Neapolim a sacra inquisitione: Romam liber dimittitur: gesta ibidem.

[Arctioris vitæ genus aggressus,] Ad suum Cryptellæ conventum jam sacerdos regressus, sacras primitias Deo obtulit, ex eoque divino ministerio sacrum quemdam horrorem vehemensque desiderium concepit vitæ perfectioris, quam & mox aggressus est, uti apud Pastrovicchium legitur. Verum hos pios conatus gravis animi tempestas, & hanc læta serenitas excepit. Non abs re fore arbitror, si, missis ceteris, quæ in Vita edenda satis exponuntur, ipsius B. Josephi hac super re testimonium, prout illud ab Hyacintho Libello, archiepiscopo Avenionensi relatum, & in Summario processuum fol. 263, num. 15, F. § 25, teste Bernino, insertum est, hic recenseam. Laudatus itaque Libellus Beatum de hoc argumento Italice secum ita loquentem inducit: Eo redactus eram (per spontaneam abdicationem rerum omnium, etiam earum, quibus cum superiorum

licentia, ut ceteri Religiosi, uti poteram) ut jam in hoc mundo nihil haberem præter tunicam, qua eram indutus; atque ita ad Crucifixi pedes prostratus, Ecce me, dixi, qualem me vis, Domine, nudum & omnibus privatum & penitus pauperem: modo tu sis meum unicum bonum, omne aliud bonum pro periculo, damno & animæ naufragio reputo.

[16] Cumque jam viderer mihi diabolum debellasse, miser ego nondum noveram, [gravi melancholia probatur,] quantum pugnæ mihi superesset; nec advertebam, meritum paupertatis non in rerum omnium exteriorum inopia, sed in omnium erga easdem internorum affectuum exstinctione situm esse. Et tamen maxime profanum cor meum terrenis mundanisque affectibus scatebat, & longiori pugna ei opus erat, ut purgaretur. Et sane non multo post patuit, quale esset: cum enim cœpti pœniteret, nec, ut alias feceram, jacturam possem resarcire, in tam gravem cordis afflictionem incidi, ut, nisi Deus incomparabili sua caritate me sustentasset, dubitem, an eam ferre potuissem. Crescebat melancholia, quantum crescebat egestas, & hæc indies arctabatur, quia tunica, qua induebar, terebatur, neque noveram, quo me verterem, ut alteram, quæ necessitatem sublevaret, mihi compararem; non quod Religiosi de convenienti victu & vestitu mihi non prospicerent; sed sive quod Deus mei purgandi causa id ita permitteret, sive quod illi me emotæ mentis esse rati, censerent, hac afflictione me mihi reddendum.

[17] In hoc statu diu inhærens, quamvis scirem, Deum in centro cordis mei immorari, [qua per biennium vehementer aucta] unde interdum me ad patientiam hortabatur, frequenter tamen cum eo conquerebar, acsi me deseruisset, quodque, cum ego propter illum omnia reliquissem, ipse animam meam, cum spiritualibus, solatiis aspergenda esset, lethali lucta opprimi

permitteret. Hæc lucta divinam inter bonitatem meamque malitiam toto biennio tenuit. O Deus, quam hæc recordatio me exanimat! Erant tempestates; pravi mei affectus venti erant, anima autem mea jactata navicula, quæ si naufragium passa non sit, hoc non rationis industriæ, sed Dei fuit, qui illam inter tempestates ad portum conducere volebat. In fine biennii, cum plagæ meæ desperatæ, earumque remedium longius abesse mihi viderentur, melancholia ceteris omnibus graviori correptus sum. Videbar mihi emori; & velut inconsolabilis me in cellam meam recepi, portaque ac deinde etiam fenestra clausa, in vilem lectulum, quem habebam, decubui, & post longos cum Deo & de Deo quaestus, sæpius repetendo: Domine, ut quid dereliquisti me? & post ipsum cum fervore suspiriisque solito ardentius invocatum, ex mearum miseriarum consideratione in acerbissimum planctum prorupi, quem inter vehementes singultus diu continuavi.

[18] [mirabili modo tandem liberatur,] Ad singultus meos, nescio quis, Religiosus januam meam pulsavit, &, me non respondente, cum de more Religiosorum clave obserata non esset, aperuit, & ingressus accessit ad lectum meum, aitque: Frater Josephe, quid tibi est? Loquere; quia ego adsum, ut te adjuvem. Ego, licet non agnoscerem, illum Religiosum ratus, rogavi, ut [Col. 0995E] discederet, meque meis immersum miseriis relinqueret. Non, non, reposuit Religiosus ille; volo, ut tu tuos planctus mittas, animosque resumas; & quia credo, tibi tunica opus esse, hanc tibi affero; posuitque eam in lecto, & abiit. Tum ego mirabundus surrexi, fenestram aperui, & tunicam aspexi, veteremque contritam mox exui & novam indui. Pater, refero tibi divinæ misericordiæ prodigium. Cum hanc tunicam, a cælo, credo, mihi missam, induissem, evanuit omnis melancholia, & cor meum suavissima lætitia impletum est, omnemque diffidentiam & desperationem, quam eo usque senseram, detestatus & exsecratus fui.

[19] [prout ipse narravit.] Dehinc autem tanta cum tranquillitate, tantaque divini obsequii æstimatione Deo servivi, ut minimum, quod ei præstare possim obsequium; incomparabiliter pluris faciam, quam centies mille mundorum imperium. Quis ille frater fuerit, numquam potui rescire, nec umquam assequi, quis mihi eam tunicam pro stipe dederit; id certum est, si is non fuerit angelus mihi missus a cælo, eumdem, quisquis fuerit, officio angeli consolatoris apprime functum fuisse. Atque ita sanctus Vir orationem suam terminavit. Post hæc subdit Berninus: Hactenus scriptum Libelli archiepiscopi Avenionensis. Fuit autem is Hyacinthus Libellus ex Ordine Prædicatorum sacri palatii magister, & a Clemente X ad Avenionensem sedem evectus, quam anno 1673 adiisse dicitur tom. 1 Galliæ Christianæ recusæ col. 838. Dictum itaque cum B. Josepho colloquium habuit ante episcopatum. Prætereo alia, quæ in Vita edenda abunde narrantur, & ad alteram afflictionem & chronotaxim progredior.

[20] [Accersitus a sacra inquisitione Neapolim tendit,] Jam multis miraculis inclaruerat Josephus tum Cupertini, prope quod oppidum fixum domicilium in conventu Cryptellæ habebat, tum in Barensi provincia, quam cum patre Provinciali suo obierat, cum a vicario cujusdam episcopi, cujus nomen reticetur, apud sacræ inquisitionis tribunal Neapoli velut impostor accusatus, eoque accersitus est. Accusationis hæc summa fuit; discurrere per eas provincias hominem triginta trium annorum, & hunc alterum Messiam totos vicos post se trahere cum prodigiis ad singulos passus, celebratis a plebe, quæ omnia credit. Secundum hæc ad rigorem accepta annus Christi 1636 tunc currebat, cum Sanctus anno 1603 natus fuerit, verum ex reliqua rerum chronotaxi ea res biennio circiter serius accidit, & Fremautius etiam ac Berninus discessum ejus e Cryptella Neapolim diei XXI Octobris anni 1638, quo ille annum vitæ trigesimum quintum

agebat, innexuerunt. Hinc dicendum est, vicarium illum ætætem illius, ut fieri assolet, tantum circiter annotasse.

[21] Ex hisce calculis sequitur, B. Josephum a primo admissionis suæ inter novitios clericos die usque ad dicessum versus Neapolim annos tredecim ac menses quatuor completos in dilecto sibi Cryptellæ conventu habitasse, [ubi dum examinaretur, aliquid memorabile] annumerato eo tempore, quod Barensi provinciæ cum superiori suo peragrandæ, ac aliis etiam forte excursionibus interim impendit. Neapoli una alterave hebdomade a sacro inquisitionis Officio detentus, & eo temporis spatio ter examinatus fuisse in Vitis dicitur. Quid tamen in iis examinibus actum fuerit, publicatum non est, præter unum satis memorabile, quod Fremautius, Berninus atque Agellus ejus Vitæ inseruere, quodque ego cum in edenda non legatur, Bernini verbis Latine versis hic subjicio. Examina, inquit, silentio pressa sunt; sed ad indagationem doctrinæ suæ frater Josephus per miraculum respondit, per prophetiam scilicet, cujus veritas non nisi temporis lapsu potuit probari, estque ea, quæ sequitur.

[22] Oblatum ipsi a sacro ministro fuit Breviarium, quod apertum legere & explicare jussus est. [circa S. Catharinæ Senensis familiam] Casu quodam, si humana attendas, sed si divina, non sine mysterio contigit, ut Lectiones S. Catharinæ Senensis, fratris Josephi patronæ, oculis sese obtulerint, in quibus tum legebatur: Catharina, virgo Senensis ex Benincasis piis orta parentibus. Frater Josephus legit: Catharina, virgo Senensis, piis orta parentibus; prætermissis vocibus ex Benincasis. Admonitus a ministro, ut lectionem repeteret frater Josephus, eadem, quæ diximus, prompte relegit, nullo dempto additove vocabulo. Tertio jussus, eodem modo, quo prima & secunda vice legit. Tum vero a ministro monitus, ut ad lectionem attenderet, in qua non legisset

nec protulisset has voces, ex Benincasis; certo affirmavit frater Josephus, non videre se alias voces, quam quas paulo ante protulerat. Laus Deo, quod ipsi placuerit, ut per patrem Josephum prædiceretur, eas voces, ex Benincasis ex Romano Breviario eximendas, prout non multo post a sacra rituum Congregatione justis de causis exemptæ fuerunt. Hactenus Berninus.

[23] Observandum tamen est, non integram Breviarii periodum, [ipsi contigisse narratur.] sed sensum dumtaxat ab eo relatum esse; nam in Breviario Romano, Plantinianis typis anno 1647 Antverpiæ edito, sic legitur: Catharina, virgo Senensis, ex Benincasia, una cum Burgesia familia, ex eodem stipite proveniente, piis orta parentibus &c. Hoc eodem modo ea legit Fremautius, cetera Bernino consentiens. Quod ad vaticinii veritatem attinet, Bailletus in ejusdem S. Catharinæ Vita observat, illustrissimam Burghesiorum familiam a summo Pontifice, qui tunc erat Urbanus VIII, anno 1641, die XXVIII Septembris impetrasse, ut ista delerentur, at non in omnibus Breviariis, quæ deinde in lucem prodierunt, Pontificis mandato mox obtemperatum fuisse; cujus rei argumento est exemplar Plantinianum mox laudatum. In posterioribus tamen Plantinianis editionibus, quas vidimus, & quibus nunc utimur, erasis, quæ de Benincasia Burghesiaque familia olim legebantur, tantum dicitur: Catharina, virgo Senensis, piis orta parentibus &c. Ceterum nescio, quo teste hoc B. Josephi factum asseratur; nam neque in Vita edenda de eo fit mentio, nec Berninus hic in margine processus laudat.

[24] [Romam missus, in remota cella collocatur;] Porro B. Josephus, innocentia sua & sanctitate apud Neapolitanum sacri Officii tribunal jam comprobata, aliquo tempore Neapoli in conventu sui Ordinis libere substitit. Sed cum hic a nobilibus æque ac plebejis frequenter inviseretur, magnique fieret, honoris vitandi ergo longiorem sacri

Officii ministris Romam ad patrem Generalem suum remissus fuit. Visum tamen iisdem est expedire, ut in remoto quodam solitarioque conventu collocaretur, idque litteris, per illum ipsum allatis, Generali indicarunt. Præerat tunc, teste Bernino, Minorum Conventualium Ordini pater magister Joannes Baptista Berardicellus, & in Romano duodecim Apostolorum conventu de more residebat; qui cum Josephum numquam ante vidisset, jamque a sacra inquisitione cum hujusmodi litteris ad se missum videret, cum gravi illum supercilio excepit, & donec aliter statueret, in remota quadam ejusdem conventus cella jussit subsistere.

[25] [coram Pontifice ecstasim patitur.] Verum quo obscuriori loco Josephus delitescebat, eo illustrius sanctitatis ejusdem fama Romæ increbuit, ut jam non a Religiosis suis fratribus solum, sed etiam a S. R. E. Cardinalibus, ipsoque summo Pontifice Urbano VIII suspiceretur, prout narrant biographi ex processibus. Hinc ad hoc tempus refert Berninus, quod de Beati ad laudatum Pontificem accessu in Vitis legitur. Ajunt scilicet, Josephum, cum a patre suo Generali ad oscula pedum illius adductus esset, & ad id præstandum sese inclinæret, sacra Pontificis majestate, in quo Christum Dominum, cujus ipse vicarius est, contemplabatur, adeo perculsum, ut ecstaticus & a terra sublatus hæserit, donec generalis imperio aliter juberetur, stupente Pontifice atque dicente; Si Josephus tempore Pontificatus sui moreretur, sese ea de re testimonium dicturum. Addit Berninus, eumdem tunc mandasse, ut is in aliquo observantiæ conventu, sive in quo observantia Regulæ vigeret, collocaretur.

[26] [Alia quædam, quæ Romæ tunc egisse dicitur.] Ad idem pariter tempus refert, quod in processuum Summario fol. 70 num. 12, B. § 102 legi asserit; extra Romam videlicet famam fuisse, fratrem Josephum Romæ

multa miracula patrare, propter quæ ab omnibus pro Sancto haberetur. Quamquam autem fateatur, sibi non satis exploratum esse, de quibus miraculis ibi fiat mentio, ex Summarii tamen fol. 593, num. 41, A. § 44 affirmat, Baltazarem Mozicchi, medicis de vita ejus desperantibus, per Josephi preces, quas consanguinei periclitantis flagitaverant, a lethifero morbo tum subito convaluisse. Tunc quoque factum putat, quod in Vita edenda num. 87 ex processibus traditur, nempe eum eodem tempore, quo in Urbe degebat, Octavio Piccinno, Cupertini animam agenti, uti ipsi ante promiserat, in suprema lucta præsentem adstitisse. Denique existimat, eumdem Nicolao Albergati, qui, Ludovisius postea nuncupatus est, cardinalatum eo tempore prædixisse; sed postremum hoc in altera mora Romana contigisse, sequenti § ostensuri sumus; de prioribus vero, quantum ad tempus attinet, nihil possumus adstruere.

§ III. Assisium missus, magnas animi angustias ibi patitur: Romam revocatur: redit Assisium: quædam acta ibidem.

[Ad Assisiensem conventum destinatur,] Post incerti mihi temporis in Urbe Romana moram a patre Generalii suo mittitur Assisium, quod Pontificiæ ditionis in Umbria episcopalis civitas est, in sacro S. Francisci conventu habitaturus. Tempus illius in hunc locum adventus Berninus signat diem XXX Aprilis anni 1639, idque chronotaxi hactenus datæ satis conforme est. Verum idem illud difficultatem patitur ex Vita edenda, in qua Beatus annos tredecim in Assisiensi conventu habitasse dicitur. Constat autem ex dicendis, eum anno 1653, die XXIII Julii ex hoc conventu, numquam eodem reversurum, amotum fuisse; atque adeo, si anno dieque a Bernino assignatis Assisium advenerit, oportet eum annos quatuordecim, eosque completos ibidem exegisse. Hæc conciliari non possunt, nisi quis velit, Beatum, dum in Assisiensi conventu fixum domicilium haberet, plures menses alibi

subinde degisse (nam & Romam interim evocatus fuit,) & Pastrovicchium, hisce præcisis, annos tantummodo completos, quibus Assisii præsens vixit, numerasse. Nisi id ita sit, pro annis 13 reponendi sunt 14, aut dicendus est Beatus serius, quam die XXX Aprilis anni 1639 huc advenisse, ideoque etiam serius, quam sub finem Octobris anni 1638, ut num. 20 ex Bernino diximus, Neapolim evocatus esse; neque enim Neapolitana ac Romana mora tam diuturna fuisse videtur, ut annuum spatium ei adjici possit.

[28] Gaudebat enimvero B. Josephus, quod id domicilium sibi obtigisset, [ubi a superiore duriter habetur; & mentis ariditate] ubi sanctissimi patriarchæ sui Francisci corpus servabatur: verum non multo post nova denuo afflictio accessit, eo acerbior, quo amiciores manus essent, a quibus immittebatur. Pauco enim post tempore pater magister Antonius a S. Mauro eidem conventui Custos præfectus est. Is ipse erat, qui, dum toti Provinciæ præesset, Josephum venerationis & amoris gratia per Barianum agrum circumduxerat; sed ob scriptam ipsi a Neapolitana inquisitione dicam tam mutato in eumdem animo, ut, quem ante dilexerat, acerbis dicteriis minisque incessere non cessaret. Et ipse quidem hæc patienter & humiliter ferebat, & majoribus obsequiis religiose compensabat; sed nihilo inde reddito mitiori Custode. Huic molestiæ accessit aliud gravius: nam divina providentia, quæ Servum suum, sicut aurum in fornace probari volebat, sua quoque solatia cælestesque animi delicias omnes paulatim penitus subtraxit, eumque velut ad divina surdum & omni pietatis sensu destitutum reliquit.

[29] Ad hæc permisit dæmoni, ut eumdem eodem tempore fœdis cogitationibus & phantasmatis per biennium infestaret, [ac fœdis tentationibus vehementer cruciatus,] quibus castissima illa anima, licet bene sibi

conscia, mire torquebatur. Hasce animi angustias augebat præteriti temporis recordatio, quo in dilecto Cryptellæ conventu cum summa animi tranquillitate divinis donis affluebat. Hinc in gravem lapsus est melancholiam, quam toto etiam corpore præferens, oculorum palpebras vix poterat attollere. Tanta porro Custodis in afflictum Josephum importuna severitas, si Bernino credimus, duos ejusdem conventus Religiosos, patrem scilicet magistrum Gabriëlem de Caravaggio & Euthymium De Campo-Vetere, tironum magistrum, impulit, ut pro Josepho apud patrem Generalem conquererentur, & hic sanctitate illius dudum cognita, ideoque eorumdem postulatis annuens, illum Custodis imperiis subtractum voluit uni patri Bonaventuræ Cupertinensi, qui tum temporis in Assisiensi conventu præses erat, imposterum subesse. Unde tamen ea didicerit Berninus, non edicit: certius est, quod de Beato Romam propterea evocato tam ipse, quam Pastrovicchius ex processibus tradiderunt.

[30] [a Generali Romam evocatur,] Etenim pater Generalis de miserando Beati statu admonitus, eum Romam accersiit, ut recreandi animi gratia ejus anni Quadragesimam Romæ apud se traduceret. Factum hoc Berninus anno 1644 recte illigavit. Porro Deus atram illam animi tempestatem Romæ penitus depulit, Servumque suum pristinis suis deliciis denuo implevit. Quid Romæ præcipue egerit, non exponit Pastrovicchius; at Berninus reliqua recenset, quæ hic subjungimus. In primis ait, ipsum sacra almæ Urbis loca & basilicas cum summo pietatis sensu mentisque dulcedine obivisse. In hanc sententiam ex Summario processuum fol. 267, num. 15, C. § 8 recitat testimonium Bonaventuræ Claverii, qui ex Ordine Conventualium S. Francisci ad episcopatum Potentinum anno 1646 evectus fuit, teste Ughello tom. 7 Italiæ sacræ auctæ, col. 144. Testimonium hoc, quia oculati testis est, dignum judico, quod, prout apud

Berninum recensetur Italice, in Latinum sermonem versum lectori exhibeatur.

[31] [ibique sacras basilicas pie invisit.] Cum Romæ essem (inquit laudatus episcopus Potentinus) Assisio advenit pater frater Josephus, a patre Generali Larinate (is ipse est Joannes Baptista Berardicellus, a patria sua Larino, regni Neapolitani civitate in provincia Capitanata sic dictus) solandi gratia arcessitus, & hospitatus est in quadam cella supra cubiculum patris Generalis, & ego ejusdem curam gessi. Duxi illum mecum ad novem basilicas invisendas curru patris Generalis, quia omnes dictas ecclesias aliter lustrare non potuissemus. Res mira! quoties in currum ascendebat, rapiebatur in ecstasim, utque e curru egrederetur & intraret in ecclesiam, oportebat, ut sanctæ obedientiæ nomine eum sui compotem fieri juberem. S. Petri basilicam omnium primam ingressus, oculos adeo submisit, ut pavimentum, in quo gradiebatur, vix cerneret. Hinc dixi ei: Frater Josephe, attolle oculos & vide altaria, sacella & pictas tabulas, aliaque æque pia ac elegantia. Ipse vero numquam oculos sustulit, responditque mihi: Credo, credo; nec aliud volo præter sanctam fidem.

[32] [Nicolao Albergati] Ad eamdem in Urbe moram, aut certe ad eumdem annum pertinet vaticinium, quo Beatus Cardinalatum illustrissimo Nicolao Albergato, postea Ludovisio appellato, prædixit, quod vaticinium Berninus, ut supra monui, præpropere retulit. Rem, ut contigit, ipse Nicolaus, jam Cardinalis, exposuit verbis, quæ Berninus ex Summario fol. 4, num. 3, A. §: Italice recensuit, quæque nos ex eo Latine reddidimus. Patrem Josephum a Cupertino, Minorem Conventualem, Romæ primum cognovi. Eo ipse a superioribus suis arcessitus fuerat, & hospitabatur in sui Ordinis conventu Sanctorum Apostolorum; ego vero tunc habitabam in palatio, quod princeps Gallicanus Cardinali Chisio postremo reliquit,

sed tum temporis possidebat princeps de Venosa. Audito Patris adventu, motus fama, quæ de illius sanctimonia spargebatur, incensus fui singulari ejus videndi desiderio. Ea itaque mente quodam mane egressus e domo, intravi conventum, ubi nemine reperto, qui me ad cellam ejus conduceret, quam circa turrim esse tantum intellexeram, aliquot scalas ascendi, & opportune non longe ab illa bonum Patrem obvium habui; qui cum me numquam antea vidisset, nec quis essem, ullo modo sciret, extemplo me hisce præcise verbis prior compellavit: Ut quid Cardinalis invisit pauperculum?

[33] Ex humilitate sermonis intellexi, illum ipsum esse, [Cardinalatum vaticinatur:] quem quærebam, ut reipsa erat. Dixi igitur ei, non esse me Cardinalem. Respondit ille subridens: Bene, bene, bene. Postquam spatio mediæ non amplius horæ cum eo collocutus fuissem, cum magno pietatis sensu recessi. Eodem die cum post prandium domi degerem, accessit ad me quidam Conventualis, qui præfatus, esse se patris Josephi socium, ait, illum dixisse, prælatum quemdam, qui eodem mane apud illum solus fuerat, risisse, quod ipse sibi, nescio quid, de Cardinalatu suo dixisset; sed eumdem paucos intra menses visurum, an ipse falsus fuisset, nec ne. Dimissus a me pater ille fuit eo modo, quo quilibet prudens potest arbitrari. Verumtamen rei veritas patuit: colloquium enim istud contigit mense Majo anni MDCXLIV, mense autem Martio anni MDCXLV per divinam clementiam promotus fui &c. Hactenus Nicolaus Albergatus, seu Ludovisius, qui ab Innocentio X die VI Martii præcitato anno S. R. E. Cardinalis titulo S. Augustini creatus est, ut habet Ciaconius tom. 4 Vit. Pontif., col. 670, ubi plura de eodem legere est.

[34] Forte eodem anno 1644 pariter contigerunt, quæ Bonaventura Claverius, [coram aliis Cardinalibus mirabiles ecstases] episcopus Potentinus supra num. 30 &

31 laudatus, in processuum Summario § 14, fol. 268 apud Berninum oculatus similiter testis præterea asseruit. Quodam mane, ait Claverius Italice, patrem Josephum, Romæ commorantem duxi mecum invisurus Cardinalem Lanti, Ordinis protectorem, Cardinalem Montaltum, &, si recte memini, etiam Cardinalem Burghesium. Apud horum singulos, quos omnes eodem matutino tempore visimus, statim ac cum dictis dominis Cardinalibus consederamus, vix ego pium aliquem de quodam passionis Christi mysterio sermonem injeceram, quin pater frater Josephus raperetur in ecstasim, momentoque temporis e sede, quam occupabat, in genua procumbens, expansis in modum crucis brachiis, oculisque versus cælum apertis, præmisso magno ejulatu & cordis fremitu, immobilis omnique sensu destitutus spectaretur: nec remittebant ecstases, nisi cum ego per sanctam obedientiam ita imperassem. Hinc laudati Cardinales multum solatii pietatisque ex patris fratris Josephi consortio referebant, ipsique se semper commendabant, nec mecum loquebantur.

[35] Hæc autem ad prædictum annum referre visum est; [patitur: remissus Assisium, civitate donatur,] quia Cardinalis Montaltus, alias dictus Franciscus Perettus, mense primum Decembri anni 1641 Cardinalis creatus est, teste Ciaconio tom. 4, col. 610; adeoque serius, quam Beatus prima vice Romam advenit, ut supra dictum est. Et Cardinalis quidem Petrus Maria Burghesius jam ab anno 1642 obierat, ut habet laudatus Ciacconius, col. 539; sed cum Claverius de hoc postremo dubie meminerit, verisimilius est, ipsum in hoc potius, quam in Montalto, memoria lapsum esse; nisi forte prolepsi usus, Montaltum Cardinalem dixerit, antequam esset. De Marcello Lanti vel Lantes omnia se recte habent. Rebus tam prospere Romæ succedentibus, remittitur Assisium, ubi eodem anno 1644 certe jam morabatur. Exceptus autem ibi est ingenti omnium applausu, & aliquo tempore post ob

insignia ejus beneficia honoris ergo civitate donatus a civibus, & a Religiosis Conventualibus sui conventus alumnis (filios ipsi appellant) adscriptus; quod utrumque ipse acceptavit, & præ gaudio in ecstasim raptus & in aërem sublatus est, quod, ut ajebat, S. Francisci popularis factus esset.

[36] [per instrumentum publicum,] Agellus in Vita B. Josephi nostri cap. 9 instrumentum civitatis Latine recenset, quod est hujusmodi: Confalonerius & Priores illustrissimæ & Seraphicæ civitatis Assisii admodum R. Patri Josepho de Cupertino, Ordinis Minorum Conv. S. Francisci, de familia sacri conventus Assisiatis, salutem ac prosperos ad pia opera accessus. Amor insignis, quem erga civitatem hanc, quam singulari divinæ miserationis beneficio communem cum glorioso patriarcha pauperum D. Francisco patriam, licet immeriti, nacti sumus, prætulisti, & preces, quas pro animarum salute, & pro spiritualibus temporalibusque bonis publicarum privatarumque rerum, semper dignatus es & dignaris salubriter in Domino ad Dominum efficaciter effundere, præsertim dum veram charitatem restaurando, divisos civium animos reconciliare conaris, ægros etiam afflictos solaris, & omnes denique bonis consiliis adjuvare solitus es, & signanter auxilium, quod nobis per finitimarum regionum bella inter sacrilegas hostium invasiones verbo & opere superioribus mensibus præsentissimum exhibuisti, eo nos adduxerunt, ut Assisiensium civium corda rapueris, tibique Assisienses omnes immortalis obligationis vinculo devinctissimos reddideris.

[37] [quod ex Agello recitamus.] Et cum paria paribus referre nulla ex parte valeamus, ad effugiendum ingratitudinis vitium in signum grati animi Te prædictum admodum R. P. Josephum a Cupertino in publicis generalibus consiliis inter nos civem aggregavimus viva omnium voce, & aggregamus per præsentes cum omnibus

prærogativis & privilegiis, Assisiensibus civibus, in ipsa Assisinate civitate oriundis, competentibus & competituris. In quorum fidem & testimonium has litteras fieri & nostri sigilli impressione muniri, ac per nostrum cancellarium subscribi jussimus. Datum Assisii ex palatio nostro Priorali hac die IV mensis Augusti anni MDCXLIV.

Loco ✠ sigilli
Grandilius Lucidus
canc. mandato &c.

De donatione civitatis conveniunt etiam Berninus & Pastrovicchius, ac prior de instrumento etiam meminit; neuter tamen illud recitat; nec Agellus indicat, unde id acceperit. Ex adscripto autem die conjicimus, illud non statim ab ejus Assisium reditu confectum fuisse, cum ex dicendis, tunc jam aliquo tempore in Assisiensi conventu degisse videatur. De quo vero bello in eodem mentio fiat, sequenti § videbimus.

[38] [A viris illustribus ac principibus] Nec intra Assisium tantummodo & vicina loca B. Josephi fama celebris continebatur, sed ad externas quoque regiones & regna se extenderat, ex quibus variæ magni nominis personæ ad ipsum advenisse dicuntur, quas strictim Vita edenda, Berninus fusius commemorat. Mihi vero suffecerit tria de hoc argumento testimonia, ab eodem Bernino ex processibus collecta, Latine subjunxisse, ceteris, ne justo longior sim, prætermissis. Processus, inquit Berninus, laudans fol. 85, num. 13, A. § 98, hæc aiunt: Fama sanctitatis prædicti servi Dei, fratris Josephi, non solum per Italiam, verum etiam per Germaniam, Franciam, Poloniam, aliasque regiones vulgata, multi illustres viri, magnique principes accurrerunt, ut ipsum in hoc sacro S. Francisci conventu inviserent. Et rursum fol. 103, num. 13, A. § 229, eodem teste, dicitur: Fama sanctitatis hujus Servi Dei & nomen ejus per magnam Europæ partem

pervulgatum erat; ideoque multi amore ac pietate impulsi accurrebant veniebantque eum invisuri. Et erat res mira; quicumque cum eo locutus fuerat, is erga ipsum optime animabatur & amabat eum tenerrime; neque post longam cum eodem consuetudinem & familiaritatem ullus repertus fuit, qui cum dicto Patre egerit, nec eumdem singulari affectu dilexerit. Personæ autem, a quibus amabatur, tam magno numero erant, ut longum esset eas recensere.

[39] Tertium testimonium a Bernino adductum ex Summarii fol. 117, [honoratur & invisitur.] num. 13, A. § 319, est patris Octavii Lelli, tertii Ordinis S. Francisci, qui sequentia asseruit. Frater Josephus in honore magnoque in pretio habitus fuit non solum a patribus Religionis nostræ & Assisii incolis, sed etiam a principibus & illustribus viris, ac nominatim ab Eminentissimis dominis Cardinalibus, Fachinetto, Ludovisio, Caraffa, Rapacciolo, Donghio, Casimiro Poloniæ rege, infante Maria Sabaudiæ, aliisque; uti etiam a principe Zomoski Polono, ac peculiariter a principe Alexandro Lubomiski & ejus conjuge, qui anno sancto in Italiam profecti, patrem Josephum inviserunt, se que ejus precibus commendarunt, ut pro obtinenda prole Deum precaretur, cum jam per duodecim omnino annos nullam genuissent. Dictus autem pater Josephus jussit eos in Deo sanctoque Francisco spem suam collocare, & prolem nascituram; uti ipsis nata est, cum in patriam rediissent. Hæc autem omnia dicti principis Varsaviæ, (quæ Poloniæ regum sedes est) mihi narraverunt; & ego vidi parvulum principem, dictis dominis dicentibus; Hunc filium per patris Josephi preces obtinuimus. Ita ipse.

[40] Ceteris tamen omnibus longe felicior fuit serenissimi Joannis Frederici, [Principem Brunsvicensem ad fidem adducit.] principis Brunsvicensis & Hannoveræ ducis, ad B. Josephum accessus; quippe qui ipsius miraculis,

precibus ac monitis eo adductus fuit, ut, ejurata Lutherana hæresi, religionem Catholicam amplexus sit, quam & ad finem usque vitæ professus est. Fuit is Georgii Brunsvicensis & Hannoveræ ducis filius, & Wilhelminæ Amaliæ, Josephi Romanorum imperatoris augustissimæ conjugis pater. Pater Antonius Cito, Societatis Jesu presbyter, in Vita Italica ejusdem augustissimæ, cui a sacris confessionibus fuit, laudati principis ejurationem anno 1651 affigit, cum Pastrovicchius ac Berninus iter illius Italicum anno 1649, ejurationem vero anno sequenti illigaverint. Forsitan prædictus princeps iter suum Italicum anno quidem 1649 inceperit, sed anno primum 1650 ad Josephum pervenerit, atque adeo anno 1651 hæresim ejuraverit. Nisi id ita sit, malo augustissimæ confessario hac in parte credere, præsertim cum etiam Agellus in Vita Italica S. Josephi, serenissimo archiduci Josepho dedicata, accessum illius ad S. Josephum ad annum 1650, ejurationem autem anno subsecuto retulerit. Rem, ut gesta est, satis exponit Pastrovicchius. Addo tamen serenissimæ ejusdem principis viduæ, Benedictæ Henriettæ, Palatini Rheni comitis filiæ, de illius grato in B. Josephum animo testimonium, quod Berninus, ea tum adhuc in vivis superstite, authenticum ad se pervenisse testatur, & est hujusmodi: Perpetuus erat (in aula ejusdem ducis) sermo de servo Dei, patre fratre Josepho a Cupertino, erga quem ipse (dux) tenerrimam devotionem fovebat, & cujus effigiem habebat, cumque aliquos Religiosos in ditionibus suis habere vellet, ex ejusdem respectu Capucinos, tamquam Franciscanos, præelegit, apud quorum aliquem noxas animæ suæ solebat expiare, quosque, quoad vixit, tutatus est.

§ IV. Miracula aliquot Assisii ab eo patrata, & in Vita edenda prætermissa, aut minus exposita.

[Multi a variis morbis curati per attactum ipsius,] De miraculis, quæ Beatus Assisii patravit, aliqua recense

Berninus, a Pastrovicchio partim prœterita, partim nimis breviter memorata, quibus propterea hoc § locum dabo. Utar autem ipsius Bernini verbis Latine versis, & processuum locos, unde deprompta fuere, de more annotabo. Visitabat (inquit ipse, laudans Summarium fol. 43, num. 12, A. § 121) infirmos, soloque complexu subito sanabat. Inter felices hos œgros unus fuit frater Ludovicus Branconus, socius ejus, ad quem frater Josephus accurrens, Ne me deseras, inquit, care socie; cumque illum complecteretur, maligna febris, ex qua ad supremum agonem adductus fuerat, in momento temporis eumdem deseruit. Sequitur ibidem altera sanatio ex Summario fol. 492, num. 38, C. § 38. Frater Joannes Baptista Crucianus, tertii Ordinis S. Francisci, triennium conflictatus fuerat tam acri capitis dolore simul & tam gravi hypochondria, ut cadaveris potius, quam hominis, speciem exhiberet. Huic Servus Dei, ad quem recurrerat, manum capiti imposuit, & recitata sancti patris Francisci benedictione, subito sanavit: & ipse sano capite, animoque hilari recessit cum non minori stupore, quam erat miraculum, quo, ut ita dicam, triennio mortuum ad novam vitam resuscitaverat.

[42] [vel rerum, quibus ipse] Eamdem gratiam (prosequitur Berninus, citans Summarium fol. 592, num. 41, A. § 32) adversus simile capitis malum obtinuit Alcides de Fabianis; & ad solum ipsius prodigiosum attactum (laudatur hic fol, 491, num. 41, A. § 26) Octavius Aromatarius a singulari cruris cruciatu, & doctor Paulus Santinellus (ibidem § 19) ab acerbissimis corporis convulsionibus, convaluerunt. Nec ad solum dumtaxat illius attactum, sed etiam ad rerum, quibus ipse usus fuerat, admotionem fiebant miracula, cujusmodi in Historiis raro occurrunt. Olympia Benigni (ibid. 22) applicato ipsi solummodo Servi Dei cingulo, & Porcia Pontani (fol. 592, ibid. 34) post impositum corpori suo ejusdem pileolum, ex periculosissimo partu miraculose

evaserunt; filius vero cujusdam ruricolæ (fol. 491, ibid. 23) exhibita tantummodo ipsius oculis Benedictione S. Francisci, a fratre Josepho scripta, facultatem diglutiendi recuperavit, atque adeo vitam accepit. Clara Leonelli (in Summario ibid. 30) per tactum sudarii, illius sanguine imbuti, convaluit a gangræna, quæ paene totam ejusdem faciem exederat. Appollonium Bianchum (ibid. 31) eodem (sudario) sibi admoto, maligna febris dimisit, qua æstuans sese in subjectum fontem e fenestra desperanter dejecerat.

[43] Plurimi quoque in desperatissimis malis salubriter adhibuerunt aquam, [usus fuerat. Alios suis precibus sanat, dissidia componit.] in qua fratris Josephi tunica lota fuerat, quæ suavissimo fragrans odore propterea velut unicum adversus omnes morbos remedium servabatur. Pro hisce laudat Berninus fol. 592, num. 41, A. § 35, C., & fol. 107, num. 13, A. § 256. Nec sola ipsius præsentia, (prosequitur ibidem, notato fol. 591, ibid. § 27) nec solus rerum illius contactus; sed sola etiam ejusdem oratio, licet procul absentis, quodlibet magnum apud Deum valebat. Supra dictus Octavius Aromatarius & Hieronymus Ferrus, desperata a medicis ob malignitatem febris salute, in momento sanati fuere eodem plane temporis puncto, quo frater Josephus in Missa pro iis orabat. Et exorta (ut ibid. § 27 legi asserit) inter armatos Assisiates & Bastienses (est autem Bastia vicus non procul ab Assisio dissitus) dira rixa, sanguinolenta illa contentio, nemine intercedente, inopinato cessavit ex eo solum, quod frater Josephus, simul ac de illa inaudierat, Deum precatus esset pro pace inter inimicas istas factiones componenda.

[44] Ad solum ipsius aspectum (progreditur Berninus ex Summario fol. 272, [concubinum corrigit, Assisium] num. 17, C. § 3) & nescio quam mutuam salutationem, quidam hortulanus concubinam suam dimisit, vitamque accepit,

qua exemplo fuit toti civitati, quæ tam mirabilem mutationem soli fratri Josepho acceptam tulit. At secretis precibus suis populares suos a diro bello ad placidissimam pacem reduxit in casu sequenti. Flagrabat bellum (notatur hic fol. 292, num. 17, § 3) inter Pontificem Urbanum VIII & Florentinos, qui cum aliis Italiæ principibus confœderati, prætensa jura terrore potius quam ditionum quæstu propugnabant. Ea nocte, qua sacrorum stigmatum S. Francisci memoria recolitur (id est, die XVII Septembris) hostes in planitiem Assisiensem descenderunt, & inter tenebras spissi hinc & inde circum videbantur foci, quos Florentini sive in suorum commodum, sive ad nostrorum terrorem excitaverant. Bellum, nox, foci, & super hæc mala pessima, graviorum etiam malorum ficta facies animis obversans, omnes Assisiates in subitam consternationem conjecerunt, non fine ea rerum confusione, quæ consilia, in rebus arduis dubiisque capta, solet comitari.

[45] Qui ad arma ferenda non erant idonei, omnes ad Franciscanorum ecclesias, [ab imminentibus hostibus liberat.] velut ad tutum asylum confugerunt. Episcopus autem N. Baglionus & gubernator N. Valeottus, velut primariæ personæ ac prælati, arcendam potius quam inferendam vim rati, recta ad fratris Josephi cellam accesserunt, qui inter tam periculosos tumultus summa pace inter solitas preces fruebatur. Cum Dei Servus hosce conspexisset, eorumque vehementem perturbationem magis advertisset, nihil immutatus, nec alieno commotus pavore, arguens simul & animans, ait: O animi modicæ fidei! Abite & confidite in Deo; ego enim vobis polliceor, sanctum patrem Franciscum, popularem vestrum, numquam permissurum, ut huic civitati damnum inferatur. Vix ista effatus fuerat, quin prædicti foci ex agro evanuerint, & hostes, nescitur, qua de causa, recesserint, & omnis timor cessarit. Postridie quoque mane non modo compertum est, nullum huic territorio illatum damnum

fuisse; verum etiam in posterum omnis militaris injuriæ immune perstitit, quamvis circumjacentia, Perusium, Tudertum & Tifernum Tiberinum, gravissima detrimenta inde retulerint. De hisce haud dubie loquuntur Assisiates in instrumento, per quod Beatum civitate donarunt, quodque num. 36 & sequenti recensuimus. De eodem autem bello consuli potest Ludovicus Muratorius tom. XI Annalium Italiæ ad annum Christi 1643 & sequentem, quo pax sancita fuit.

[46] [Conventui, inopia frumenti laboranti,] Regredior ad Berninum. Quatuordecim, inquit, miracula, a fratre Josepho Assisii patrata leguntur in unico folio processuum (nempe, ut notat in margine, 591, num. 41, § 22) quæ si omnia referre vellemus, ex una sola Vita fieret longa Historia. Deinde aliqua narraturus, sic orditur: Preces ejus tam efficaces in aliorum favorem, etiam pro domesticis suis prodigiosæ fuerunt. Pater Saurinus de Monte-regali, tunc custos sacri conventus (annum notat 1648, & Summarii fol. 293, num. 17, C. § 5) ex frumenti inopia, quod hoc anno ubique carum erat, in comparando Religiosis suis solito victu ad eam angustiam redactus erat, ut dolore percitus, ad Servum Dei recurreret, certus officio cedere, indeque abire, ne subditos suos fame pereuntes conspiceret; cum jam tentatis nequicquam omnibus modis pro frumento obtinendo, panis in triclinio postridie omnino defuturus esset. Ad hæc frater Josephus, nihil animo perturbatus, Confide in Deo, inquit, fore ut ipse prospiciat: Jacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet; & una cum Custode provolutus in genua litanias Dei Matris recitavit.

[47] [suis precibus prospicit;] Quid eidem Dei Matri tum dixerit frater Josephus, eventus brevi docuit. Etenim litanias non ante expleverant, quam fratres ad ejusdem cellam, ubi Custos etiam aderat, turmatim concurrentes, nuntiarunt, frumenti copiam (Italice est quattro rubbia,

quæ Italis mensuræ genus sunt) in conventus claustro eodem tempore exonerari, eleëmosynæ nomine missam a Cardinali Rapacciolo ex quadam sua abbatia, prope Tifernum Tiberinum sita. Quo audito, ambo simul, Custos & frater Josephus præ lætitia teneroque animi affectu in uberes lacrymas proruperunt; & frater Josephus ad Custodem conversus, Nonne tibi dixi, ait, Deum provisurum? Modicæ fidei, quare dubitasti? An nescis, sanctum patrem Franciscum dixisse, si in mundo unicus panis foret, ejus dimidium suo Ordini obventurum? Jam vero, si ipse omnibus fratribus suis in omni loco prospiciat, qua ratione id non præstet in hoc, qui ad quietem corporis illius usque ad mundi finem destinatus a Deo est? O quam bonus hic Deus est! Ita nos serviamus illi, ut ille nobis in nostris necessitatibus succurrit. Deinde fratres omnes in eadem cella genibus flexis, Te Deum concinuerunt; at pater Josephus (ipsissima processus verba sunt) ad tertium quartumve versiculum in ecstasim raptus est.

[48] [& eleëmosynas procurat. Casciam proficiscens, mira facit,] Huic alterum simile ex Summarii fol. 294, num. 17, C. § 6 subjungit, quod ibidem anno 1652 contigisse scribit in hunc modum: Alter Custos, pater magister Robertus Nutius, ex defectu insolitaque eleëmosynarum paucitate, tempore Indulgentiarum Assisiensium collatarum, velut desperabundus ad Dei Servum recurrit, aitque: Elapsum jam est Indulgentiarum biduum, & in arculis aut paucæ aut nullæ sunt eleëmosynæ, ex quibus contracta a conventu debita possint expungi. Frater Josephus ejus caput cum quodam impetu manibus corripuit, Vah, inquiens, ne dubita: cur times? S. Francisco magis cordi est, quam tibi, ut huic conventui prospiciat. Sic ait, & sic accidit. Litanias beatissimæ Virginis recitarunt, & subsequentibus diebus (verba processus sunt) majores eleëmosynæ, quam a tribus quatuorve annis præcedentibus, collatæ fuerunt. Post hæc subdit Berninus

Beati iter Assisio Casciam, quæ Umbriæ oppidum est, ad quod ad quamdam energumenam a superiori suo mittebatur. In hoc itinere contigisse ait mirabilem illam ecstasim, in qua sublevatus a terra versus sanctissimum Sacramentum in altari absconditum raptus fuisse legitur in Vita edenda num. 36, quo lectorem propterea remitto.

[49] Addit ex Summarii fol. 50, num. 12, A. § 158, [& in flumen prolapsus, aquis non tingitur.] dum viam suam prosequeretur, quemdam hominem, qui sclopeto armatus, inimici sui necem jamjam meditabatur, viso Beato, propositi sui mox pœnituisse, irasque inimico donasse. De eadem via deinde tradit sequentia. Dum in itinere flumen pertranseunt, equus cum fratre Josepho ab aquis subito abreptus fuit. Tum socius ejus, frater Ludovicus, in flumen desiliit, natatu ipsum assecuturus, & pectore tenus aquis immersus, apprehensum brachiis in ripam extraxit. Sed ita extraxisse, miraculum vidisse fuit: tam siccus enim corpore ac vestibus apparuit, quasi ex prato, non ex flumine prodiisset, sparsa tantummodo in calceis modica aqua, & infima tunicæ ora nonnihil tincta, unde liqueret, eumdem non e prato, sed ex flumine emersisse. Hunc eventum ipsemet postmodum cuidam familiari referens (notatur hic Summarii fol. 296, num. 17, D. § 9) asseruit, dæmonem sibi in flumen lapso desperationem in tam præsenti periculo suggessisse, seque velut aliquem dicentem sibi audisse: Morere hic hypocrita, desertus & derelictus a Deo; se vero respondisse: Volo semper sperare in Deo; Deus semper adjuvat; nec est, quod de illius misericordia diffidam. Cum ad energumenam pervenisset, dæmon eum conspicatus, per energumenæ os eidem ait: Nonne tibi male feci in via? At frater Josephus simplex & humilis respondit: Nihil mihi mali contigit, quia superiori meo obsecutus sum.

**§ V. Beati scientia divinitus accepta, frequentes ecstases sublimesque raptus, & suavissimus odor testimoniis comprobantur.**

[Recitantur aliquot testimonia de inerudito] Quamquam tota B. Josephi vita continuis mirabilibus referta sit, tria tamen sunt, quæ singulari quodam modo in eo eluxerunt, quæque propterea testimoniis aliquot ex processibus a Bernino depromptis hoc § confirmare visum est. Primum est sapientia ejus divinitus accepta, qua, licet ipse, ut supra diximus, litteris minime imbutus & tardioris ingenii esset, viris doctrina præstantibus admirationi fuit. De tarditate ingenii & scientiarum inscitia laudatus Berninus ex Summario fol. 105, num. 13, A. § 441 producit sequentia. Pater Antonius Martinellus Carpensis (Carpum exigua civitas est in ditione ducis Mutinensis) presbyter Conventualis, cum juramento hæc testatus est: "Ego ex certa scientia novi fratrem Josephum simplicissimum fuisse, ac vix potuisse legere; & quod ad lectionem attinet, id ego sæpius expertus fui. Non erat theologus, neque ullam scientiam didicerat."... Pater Michaël de Monte-Albotto, presbyter Capucinus (in Summario fol. 270, num. 15, C. § 259) subdit: "Pater Josephus naturali ingenio exiguæ capacitatis erat, nec argumentis theologicis aut scholasticis studuerat."

[51] [tardoque Beati ingenio, & singulari] Subjungit Bonaventuram Claverium, ex Ordine Minorum Conventualium episcopum Potentinum in regno Neapolitano, qui in Summario fol. 270, num. 15, C. § 27 ait: "Frater Josephus erat idiota, neque studuerat." Subdit & patrem Joannem Baptistam Crucianum, presbyterum tertii Ordinis S. Francisci, qui in Summario fol. 492 num. 38, C. § 41 jurejurando affirmavit: "Frater Josephus persona erat, quæ vix noverat legere & scribere." Addit denique Cardinalem de Lauræa, folio 12, num. 3, 4, 5, § 17 Italice testantem: "Frater Josephus erat

imperitus, numquam studuerat, nec nisi vulgarem Latinam linguam noverat." Eadem hæc, (prosequitur Berninus) in omnibus pene processuum foliis asseruntur, usque ad adventum ipsius Assisium, aut saltem ad aliquot annos post susceptum sacerdotium. Jam vero mutatur rerum facies, patebitque, quam sublimem scientiam compararit, quamque insignis theologus, quam eruditus evaserit; & simul lectores agnoscent, quam vere Deus per os Isaïæ electis animabus & eximiis servis suis dixerit: Ego Dominus Deus tuus, docens te; ... quia ipse solus est, qui docet hominem scientiam.

[52] [scientia, divinitus accepta,] Cardinalis de Lauræa (in Summario fol. 12, num. 3, 4, 5, § 17) testatur Italice: "Frater Josephus ab aliquot e nobis, qui litteris studuimus, interrogatus de quodam mysterio, captu difficili, intrepide respondebat sublimi doctrina, & difficultates clare resolvebat." Hæc ipse, qui in alio loco (nempe in Opere suo, ut notat in margine, in tertio Font., tom. 4 de Gratia gratis data, disp. 19, art. 3, num. 58) ita ait: "Pater Josephus a Cupertino, omnino ignorans, legere tantum sciens, in spiritus fervore mira de altissimis & de agibilibus, me præsente, sæpissime eructabat." Antonii Martinelli de Beati inscitia testimonium supra num. 50 dedimus, nunc eumdem de ipsius doctrina audiamus. Supra dictus Martinellus, inquit Berninus, subjungit: "Frater Josephus cum summa facilitate de rebus divinis & sacra Scriptura loquebatur; ita ut admirationi esset, idque ego scio, quia frequenter expertus sum in colloquiis, quæ cum illo habui. Illustrissimo Claverio episcopo Potentino, quondam Ordinis nostri Religioso, mysterium gratiæ, in sacra Theologia tam difficile, aliquando explicavit; & dictus illustrissimus, vir doctissimus, ab illius laude cessare non poterat.

[53] [qua difficiles quæstiones theologicas] Pater magister Petrus a Correto, tum Regens collegii S.

Bonaventuræ Romæ, vir maximæ eruditionis, sæpe mihi testatus est, cum in hoc sacro S. Francisci conventu Regens esset, auditum a se esse patrem Josephum de theologia tam sublimiter disserentem, qualiter nec primarii hujus mundi theologi valerent." Pari modo supra laudatus pater Michaël de Monte-Albotto Capucinus, qui de illius inhabili ad scientias ingenio testimonium dixit, testatus etiam est (in Summario fol. 162, num. 14, C. § 259:) "Frater Josephus dotatus erat lumine, quod naturalem scientiam in scholis comparatam excedebat: nam ad quædam theologica dubia, de quibus eum consului, ad amussim respondebat, sed sermone vernaculo, adductoque etiam quodam vulgari exemplo; ita ut ego vehementer stuperem, ejusque rei admiratio mihi semper adhæserit. Argumenta erant de prædestinatione, de sanctissima Trinitate, de efficacia gratiæ, de libero arbitrio & similibus." Hæc ipse.

[54] Idem quoque episcopus Potentinus, supra memoratus, [& mysteria exponebat,] eodem loco ait: "Singulis noctibus adibat ecclesiam, ut Officium inexplicabili attentione recitaret; dixitque mihi, si forte accidisset, ut vel unicum psalmorum versum sine desiderata attentione legisset, eum se statim repetiisse. Dixit mihi, sese omnes psalmorum sensus intelligere; quod sine supernaturali lumine fieri nequibat; cum ipse cetera idiota esset. Asseruitque mihi, non meliorem librum spiritualem a se repertum esse, quam divinum Oficium, ex eoque se omnia utilia haurire." Ita ipse. Crucianus, qui supra illum ineruditum dixerat, denuo testatus est (in Summario fol. 492, num. 38, C. § 41:) "Illustrissimus Claverius, nunc episcopus Potentinus, insignis doctrinæ vir, cum Assisium adveniens, hic uno mense moratus est, antequam episcopatum suum adiret, quodam die mihi narravit, sese eo temporis spatio plus didicisse, cum patre Josepho de theologia morali

disserendo, quam toto studiorum suorum curriculo ex libris speculativis."

[55] Mitto alia multa, quæ Berninus ex processibus accumulat, [& summis viris admirationi erat.] & unum addo Cardinalis Cæsaris Fachinetti de eadem re testimonium in epistola, quam post intellectam S. Josephi mortem scripsit, & Berninus exhibet ex Summario fol. 5, num. 3, B. § 1, ubi inter ceteras ejusdem laudes, hæc ait: "In colloquiis de Deo ad familiarem sermonem addebat eruditionem, ita ut simplicitate sua amorem sui ingereret, & doctrina satisfaceret; nec tamen alteri libro, quam Crucifixo studuerat. De gratia & natura audivi illum mirabiliter disserentem, cum ineffabilibus verbis divinam primæ potentiam extolleret, & secundæ libertatem demonstraret." Plura hujusmodi testimonia in Vita edenda perstringuntur: interim hæc fusius hoc loco recensenda censui, ut iis, quæ in laudata Vita ex brevitatis studio compendiosius memorantur, lumen aliquod accederet.

[56] Alterum, quod in B. Josepho singulare occurrit, fuerunt ejusdem raptus & ecstases, [Mentis ecstases,] tam frequentes, ut ex innumeris Sanctis paucos hac in parte ipsi pares reperias. Dum in hasce incideret, solebat ingentem ejulatum edere, post quem ad cælestium rerum contemplationem abreptus, mentis oculo divina speculabatur, corporis sensibus usque adeo destitutus, ut nulla vi, nulla arte, ne adhibito quidem cauterio, præterquam superiorum imperio, ad eorumdem usum posset revocari. Ad animi ecstases sæpe accedebant totius corporis raptus, quibus nonnumquam paululum, nonnumquam etiam altius, sublimis e terra elevabatur, & in aëre pendulus hærebat; aliquando volantis instar ferebatur, subinde aliquos quoque secum rapiebat. Jam inde ab anno ætatis suæ octavo hujusmodi mentis ecstases passus fuerat, ac propterea a sodalibus suis joci

causa Os apertum fuerat appellatus. Eædem postmodum cum frequentia, tum diuturnitate creverunt, & per crebros corporis in sublime raptus etiam mirabiliores factæ sunt.

[57] Plenæ sunt ejusmodi ecstasibus raptibusque Vitæ ejus ac processus, in quorum Summario fol. 541 per totum & alibi Berninus asserit plures septuaginta numerari raptus ejus per aëra, qui in solis ecclesiis locisque agri Cupertinensis contigerunt. [& corporis sublimes raptus] Quam facile autem Beatus iis afficeretur, argumento sunt, quæ apud Berninum ex Summario fol. 579, num. 40, § 2 Italice leguntur his verbis: Verum est, servum Dei, fratrem Josephum a Cupertino donatum a Deo fuisse ecstasibus & raptibus, in choro dum oraret, & extra illum, dum de quolibet patientis Domini nostri Jesu Christi mysterio, de puritate ac sanctitate Mariæ Virginis, aut de Sanctorum virtutibus sermo fieret, aut ipse Missam celebraret; & id quidem tam frequenter, ut, qui cum eo agere vellet, ut ejusdem colloquio posset frui, oporteret illum a simili sermone conserendo abstinere. Istæ ecstases raptusque præcipue accidebant in hebdomada Sancta, feria quinta in Cœna Domini, & sexta in Parasceve, quos dies dictus pater Josephus sine ullo cibo, contemplandis Jesu Christi patientis mysteriis totus absorptus, transigebat, sexque vel septem horas exstasibus inhærens, ut dignosci nequiret, vivusne esset, an mortuus; quemadmodum pluribus annis hic Auximi contigit, ac speciatim anno MDCLVIII, qui fuit primus illius in hanc civitatem adventus.

[58] [frequentissime patitur;] Speciatim quoque in Missa multo longiores & solito frequentiores raptus patiebatur in majoribus solemnitatibus, id est, in natali Domini, in Paschate, Pentecoste, & beatissimæ Virginis festivitatibus; qui raptus cum pro divino beneplacito cessarent, sensusque corporeis usibus redderentur, ipse quoque in pristinum statum restituebatur. Huic alterum locum addit Berninus, quem nos num. 88 aptius referemus.

Id unum hic addo ex Summario p. 10, § 12, in Vita edenda laudato, tam frequentes fuisse has ecstases & raptus, ut plus quam triginta quinque annis a superioribus admissus non fuerit cum ceteris fratribus in choro, in processionibus & triclinio, quod ecstases ipsi obvenirent, turbarentque officia. Quin & verisimile est, sacræ Romanæ inquisitionis præsides eadem de causa inductos fuisse, ut ipsum ab hominum consortio aspectuque amotum vellent, quia scilicet singulares illi ejulatus & sublimes corporis raptus tam frequenter ei contingerent.

[59] [circa quos ex Cardinale de Lauræa] Antequam tamen ad alia progredior, juverit Eminentissimum Cardinalem de Lauræa, Beato olim familiarem, & ejusdem Ordinis Religiosum paucis audisse. Hic in primis tomo 4 de Gratia gratis data, disp. 20, art. 23 de ecstasi raptuque, num. 934, teste Bernino, postquam docuit, ecstases & raptus eamdem rem esse, variamque pati amplitudinem, & modo cum sensu, modo sine ullo haberi, subjungit: Primi generis accidentia omnia ego meis oculis & pluries vidi in patre Josepho de Cupertino, mei Ordinis sacerdote, qui de anno MDCLXIII, die XVIII Septembris obiit, eaque in processibus jam factis probantur. Idem Cardinalis in laudato Opere, art. 25, num. 998, ejulatus, quos ecstatici, & inter eos, ut diximus, B. Josephus solebat edere, oriri docet ex vehementi divino amore, qui velut ignis conclusus erumpit e pectore, idque ipsius Josephi dictis confirmat. Sic a servo Dei, fratre Josepho, inquit, hunc ejulatum explicari ipsemet audivi, & sic dicebat: Cum in sclopeto pulvis tormentarius accenditur, illum boatum & fragorem foras emittit, ita cor extatici, Dei amore accensum.

[60] [nonnulla observantur.] De modo denique, quo inter ecstases divina contemplabatur ibid. art. 23 de Miraculis, num. 980 hæc scribit: Frater meus Josephus a Cupertino factum extaticorum hac similitudine plurium imaginum

musæi declarans, unum addebat: Si in musæo magnum aliquod adesset speculum, & imagines omnes suas species in illud immitterent, tunc respiciens speculum, omnia depicta, in musæo existentia, unico intuitu cerneret: sic, aiebat, se habent exstatici, cum Deus eis secreta divina demonstrat. Hactenus Eminentissimus de Lauræa, qui ibidem art. 25, num. 997 exponit, qua ratione isthæc omnia e Beato didicerit; Ego, inquiens, a patre Josepho, cum eum curiosius interrogarem de ejusmodi, numquam de persona sua, sed semper de aliis exstases patientibus alloqui cum admiratione audivi. Ceterum varias ecstases raptusque in Vita edenda lector reperiet.

[61] Tertium denique ac continuum in B. Josepho miraculum fuit cælestis quidam odor, [Mirabilis Beati odor probatur ex testimoniis] quem ex virgineo suo corpore exhalabat, rebusque, quibus utebatur, mirabiliter aspergebat. Miraculum hoc quanto minus usitatum, tanto pluribus testimoniis, a Bernino ex processuum Summario productis, stabiliendum existimavi. In Summario itaque fol. 425, num. 32, A. § 17, pater Franciscus Maria de Angelis, Minor Conventualis, ipso teste, sic loquitur verbis Italicis: Pater Josephus a Cupertino exhalabat, spirabatque e suo corpore & vestibus odorem suavissimum, quem ego quidem nulli odori creato naturali aut artificioso potui comparare, nisi illi, quem audivi emitti ex arca, in qua S. Antonii Patavini corpus asservatur, ad quam una cum patre Andrea Binio Hispellate accessi; qui, dum ambo coram eadem arca flexis genibus hæreremus, rogavit me, an illum odorem olfacerem, & qualis mihi is videretur. Respondi: Videtur mihi idem genus odoris, quo pater Josephus a Cupertino fragrabat; dictusque pater Binius subjunxit: Sic est, mihi idem omnino apparet.

[62] Prædictus autem odor ab eodem toti cubiculo suo, [Francisci de Angelis Minoris Conventualis,] supellectili &

vestibus indebatur, effundebaturque etiam extra cubiculum, quod ex illo odore agnosci poterat & inveniebatur. Et quacumque ipse transiret, sentiebatur, & odorem suum relinquebat, quem ego expertus sum omni illo tempore, quo cum eo in hoc sacro conventu vixi; & publice asseri audivi, eumdem ipsi usque ad mortem in puritatis castitatisque suæ testimonium adhæsisse. Sequitur ibidem ex Summario fol. 487 num. 38, C. § 19 testimonium patris Petri Francisci a Levanto, Ordinis Minorum Observantium, præsidis conventus Novæ ecclesiæ Assisii, quod ita habet: Ego scio, cellam, quam in hoc sacro conventu pater Josephus incoluit, uti etiam dicti Patris vestes, odorem & fragrantiam cælestem spirasse; quæ naturalis esse nequibat, neque discerni poterat odoris qualitas, sed is odor & fragrantia similis erat ei, quam emittit Breviarium, quo S. Clara Assisiensis usa est, quodque in lipsanotheca servatur in ecclesia S. Damiani: idque ego scio, quia ita audivi, & expertus sum dictum Breviarium odorando.

[63] Cumque cellam patris Josephi adiissem, atque inde in conventum meum reversus essem, [Petri a Levanto Minoris Observantis, Hieronymi Angelucci] rogabant me patres, quid penes me haberem, quo odore fragrarem. Ego vero respondebam, quod res erat, nullos me odores mecum ferre, sed paulo ante in patris Josephi cella fuisse, qui me dicti odoris fecerat participem; qui odor interdum quindecim post diebus mihi adhæsit, licet manus meas quotidie lavissem; idque mihi contingebat, etiamsi nihil ex illius rebus attigissem, nisi quod in ejusdem cella sedissem, & cum eo collocutus essem. Ita ille. Consonat Hieronymus Angelucci, parochus in S. Stephani Assisii, qui, recensente Bernino, fol. 426 Summarii, num. 32, B. § 27 ita testatus est: Ad castitatem ejus confirmandam Deus ipsum ingenti ac suavissimo odore dotavit, qui ex corpore & vestimentis ejusdem, omnibusque, quas contigerat, rebus fragrabat: & ego memini, cum dictus D.

Bernardinus sordidatum dicti patris Josephi cucullum matri meæ lavandum dedisset, hunc aqua calida & sapone semel iterumque lotum, eodem tamen odore fragrasse.

[64] [parochi Assisiensis] Quilibet facile poterat illius cellam reperire, quia odor etiam extra eam foras erumpebat; & id ego scio, quia illum odoratus sum toto illo tempore, quo cum eodem patre in dicto sacro conventu amicitiam colui. Audivi quoque, alios passim auditos dicere, non posse dici, cui naturali odori odor ille comparandus esset; verum ego aliique illum Dei donum esse judicavimus. Sequitur apud Berninum doctoris Baltazari Mazzichi testimonium ex Summarii fol. 427, num. 32, B. § 31, ubi legitur: Non tantum dicti patris Josephi corpus, sed etiam vestes ejusdem ipsaque cella odorem suavissimum & supernaturalem spirabant, ita ut eumdem odorem attingentibus sese adderet, & ego expertus fui, eumdem, dum ipsius manum contigissem, meæ manui adhæsisse, & aliquo temporis spatio continuatum esse, idemque meis patruis (aut avunculis, nam Italice vox Zii est, quæ utrumque significat) aliisque evenit.

[65] [in S. Stephani,] Præterea asserere possum, cum anno MDCL Romæ degerem in domo domini Ludovici Marinelli, qui excellentissimo Paulo Jordano, Bracciani duci, a libellis supplicibus generalis minister erat, cumque dicti Patris sanctitatem illi commendassem, hunc percupidum sese exhibuisse, rem quampiam dicti Patris obtinendi; eoque Joannes Baptista Mazzichius, patruus meus, misit ad ipsum dicti patris Josephi vestem, quam ad me destinavit, & ego dicto domino Ludovico tradidi. Hæc autem vestis eumdem odorem & fragrantiam spirabat, de qua ego audieram, quamque ex dicti Patris corpore & vestibus emitti senseram, dum Assisii essem. Insuper affirmare possum, dictum dominum Marinellum, cum podagra chiragraque laboraret, sæpe jussisse dictum

habitum in lecto suo & afflicto membro imponi, ac mox magnum inde solatium cepisse, prout ipse mihi asseruit; nam, ut dixi, in ejusdem ædibus degebam. Quam ob rem dictus dominus Marinellus magna devotione in dictum Patrem ferebatur, dictamque vestem religiose asservabat.

[66] [& aliorum.] Pater Regens Bernabei ex Summario fol. 429, § 8 ibidem narrat de quodam, qui cum ex curiositate ac devotione cuperet reperire cellam, in qua pater Josephus habitabat, postquam multas cellas, id est, multarum fores odoratu exploraverat, tandem ad dicti patris fratris Josephi cellam perveniens, ex odore eam agnovit, aitque, patrem fratrem Josephum ibi habitare; hoc autem, me præsente, contigit. Ibidem ex eodem Summario fol. 468, num. 38, A. § 8 alii hæc testantur: Cum fratrem Josephum in cella sua allocuti essemus, ac deinde exivissemus in civitatem, postea reversi, cellam fratris Josephi ignorabamus; cumque fratribus molesti esse nollemus, processimus cellas exterius explorantes, & ex earum una ingentem odorem emitti sensimus, & ad eam progressi, portam pulsavimus; eaque ipsa erat fratris Josephi cella admodum odorifera, ita ut eam ex odore agnosceremus. Hisce accedit Franciscus Pierpaoli chirurgus, cujus testimonium ex Summarii fol. 433, D. § 27 profert Berninus, & ego ex ipsius fide subjicio.

[67] Verissimum est, inquit, ipsum in signum suæ nitidissimæ puritatis & castimoniæ a Domino Deo decoratum fuisse odore suavissimo, [Eumdem testati sunt chirurgus Auximanus, Confalonerius,] quem e corpore suo semper spirabat; quod ego scio, quia toto illo tempore, quo illum frequentavi, ut supra dixi, sæpius ipsum etiam manibus tractando movendoque in postrema ejusdem infirmitate, dictum odorem ex eo semper emitti sensi, quem supernaturalem esse constabat, quod cum nullo odore naturali quidquam simile haberet. Præterea

expertus sum, dum post mortem ipsius cadaver tractarem, eumdem odorem exhalari etiam corpore aperto, ut exenteraretur. Sequitur apud Berninum Gratiani Benigni, signiferi (Confalonerium ipsi vocant) Assisiensis testimonium, quod fol. 78, num. 13 A. § 4 sic habet: Cella, in qua frater Josephus habitabat, fragrantiam & odorem paradisi spirabat, idemque in ceteris ejus vestibus contingebat, quæ tamen nulla odorifera re imbutæ fuerunt; odor enim, qui sentiebatur, supernaturalis erat. Ceterum ego non credo, (imo oppositum pro certo habeo) ipsum quidquam odoriferi penes se gestasse; cum, quod ex illius rebus sentiebatur, supernaturale esset, nec aromaticis rebus ullatenus simile.

[68] Cella quoque ipsa eumdem fere odorem retinuit, [seu signifer Assisiensis,] licet dictus pater Josephus jam abhinc duodecim aut tredecim annis ab ea abfuisset. Neque integer annus elapsus est, ex quo ad manus meas pervenit par subligaculorum ex tela, quæ dictus pater Josephus gestavit, dum viveret, quæque ego pro mea singulari devotione & ob quamdam infirmitatem petieram a quadam muliere, Joanna di Orazio appellata, quæ asserebat, eadem sibi data fuisse a femina, quæ dicti patris Josephi vestes lavabat, quæque ea commutarat cum uno pari novo, quod ex devotione fieri curaverat, & ad dictum patrem Josephum tulerat. Ea autem occasione sensi, ista subligacula etiam tum odore fragrasse. Insigne quoque est patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani Capucini testimonium, qui apud Berninum ex Summarii folio 172, num. 14, C. § 328 de S. Josepho, quamdiu apud Capucinos ex præscripto sacræ inquisitionis, ut infra dicemus, commoratus fuit, sequentia affirmavit.

[69] Verum est, toto illo tempore, quo cum dicto patre Josepho a Cupertino versatus sum, [Joannes Maria Capucinus Foro-Sempronianus,] hunc purissimi cordis a me deprehensum fuisse, nihilque in eo animadversum,

quod ineffabilem illius animæ puritatem non indicaret: singulariter tamen odorem (expertus sum) ex ipsius corpore emanantem, eumque copiosum & gratum, ut recrearet omnes, qui in ejus cellam intrassent, quæ licet angustissima esset & ipse velum fenestrale atque ipsam fenestram fere semper clausa teneret, semper tamen suavissimo odore penitus redolebat, qui etiam foras erumpebat, ita ut, qui nesciret, quam cellam pater Josephus incoleret, is eam ex odoris suavitate agnosceret. Hic odor per omnes cellas, in quibus exiguo tempore moratus fuerat, & per vestes, quas induerat, diffundebatur, quæ licet meo jussu lixivio & sapone sæpius lotæ essent, non tamen suavitatem odoremque amiserunt. Idem in vestibus sacerdotalibus, ab eo abhibitis contingebat, quæ quidem odorem non modo in se servabant, sed etiam armario, quæque in eo reposita erat, reliquæ sacræ supellectili indebant.

[70] Idem præterea in ceteris rebus, ab eo contactis accidebat, quæ ex tactu eumdem odorem imbibebant. [qui cum ipso habitaverat,] In cujus rei argumentum domina Julia Tenagli Bentivogli, cujus puero dictus pater Josephus jussu meo Rosarium suum dederat, affirmavit mihi, dictum Rosarium plurimis annis eumdem odorem conservasse, & hodiedum etiam conservaturum fuisse, nisi continua manuum contrectatione aliqua sui parte imminutum fuisset. Neque potest odor ille tabaco, quo dictus pater Josephus utebatur, adscribi; cum quod odor ille nequaquam tabaci esset, tum quod tabacum non eumdem semper odorem, sed varium pro varia mixtura emittat; neque potest tabacum tam universe in omnibus locis & per res omnes odorem diffundere, uti fecit dictus pater Josephus. Addo, me, dum dictus pater Josephus Foro-Sempronii habitaret, pro majori temporis parte tabacum illius in cella mea asservasse, atque ex eo ipsi parce dedisse; sæpe autem tabacum non erat odoriferum, imo potius fœtebat; at dictus pater Josephus

& ejus cella eodem nihilominus odore fragrabant; & post ipsius e conventu nostro Foro-Semproniano discessum, omnia, quæ attigerat, cellæque, quas incoluerat, eumdem odorem multo tempore conservaverunt. Atque hoc ita est, estque de eo publica vox & fama.

[71] [Cardinales Spinola & de Lauræa,] Hisce omnibus Berninus duos addit S. R. E. Cardinales, Julium Spinolam, & Laurentium de Lauræa, quorum primus in Summario fol. 7, num. 3, E. § 4 ita ait: Cum in exiguam illam cellam ingrederer, sentiebam me etiam recreari suavissima fragrantia dulcissimi odoris, quam nesciebam cui compararem ex omnibus, quas natura vel ars novit excitare; sed id certum est, cum omnes aliæ res odoratæ ordinarie fastidio mihi sint, odorem, quem illius cella exhalabat, vehementer placuisse, ita ut hic videretur mihi etiam corpori salutem conferre. Ita ipse. Insigne pariter ac ceteris consonum est Cardinalis de Lauræa, qui Beato pariter convixit & familiaris fuit, de eodem prodigioso odore testimonium in Summario, atque inde in Vita edenda relatum, apud nos num. 62, ad quem lectorem propterea remitto, ne eadem cogar repetere.

[72] [& Joannes Baptista Penna episcopus Vigiliensis.] Hisce denique addo Joannem Baptistam Penna, Vigiliensem in provincia Bariana episcopum, qui apud Berninum ex Summarii folio 273, num. 15, H. § 1 in epistola, quam paulo S. Josephi mortem ad Bonaventuram Claverium, episcopum Potentinum, jam alias laudatum conscripsit, de hoc argumento hæc habet: Sensi fragrantiam odoris suavissimi, intensam, neque naturalem, qui meis manibus adhæsit, quemque ego sensi in mea viscera penetrare; isque pauco aliquo tempore duravit. Tam multa hic conglomeranda visum mihi est, ut dispiceret lector, quam indubitatæ fidei testimoniis, quæ nemo prudens suspecta habeat, tam singulare tamque

eximium B. Josephi nostri donum asseratur. Nunc ad chronotaxim, quam tantisper deseruimus, revertamur.

§ VI. Jussu sacræ inquisitionis Romanæ ex conventu Assisiensi sui Ordinis ad Capucinorum ad Petram-Rubeam abducitur.

[A sacra inquisitione Romana, incertum, qua de causa,] Dum S. Josephus mirabili vitæ sanctitate, miraculis, vaticiniis, cælestique sapientia, uti § 3 & 4 vidimus, Assisii feliciter coruscaret, ideoque omnibus in ore ac veneratione esset, nova ipsum, eaque peracerba afflictio excepit. Etenim Romanum sacræ inquisitionis tribunal, mandante summo Pontifice Innocentio X, eum non modo a dilecto sibi conventu, in quo tot piis castissimi animi deliciis fruebatur, verum etiam a fratrum sui Ordinis consuetudine avulsit, & ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum transtulit. Locus hic est ducatus Urbini in diœcesi Feretrana ad montes Carpenianos situs. Porro de tam inopinati mandati causa non satis liquet: neque enim omnibus, ut reor, placebit illa, quam Berninus, laudans Summarium fol. 134, num. 14, B. § 3; fol. 187, num. 14, D. § 35 & alibi, ex processibus allegat; nempe quod expedire ac necessarium videretur, ut tantus thesaurus a publico remotus, soli Deo, donec is aliter faciendum manifestaret, intactus servaretur.

[74] Pastrovicchius in Vita edenda præter tam eximiæ sanctitatis custodiam, [Assisio Petram-Rubeam ad Capucinos abducitur:] etiam cautelam, sed utramque ut dubiam, ejus consilii causam commemorat. Atque hæc postrema ratio mihi sane verisimilior apparet. Cum enim ob frequentes suas ecstases & sublimes corporis volantis instar per aëra raptus ab ipsis sui Ordinis superioribus multos annos, ut num. 58 vidimus, ceteris fratribus in choro, in processionibus & triclinio adesse, ne quid turbaret, prohibitus fuerit, haud inverisimile est,

inquisitoribus Romanis, probante Innocentio Pontifice, expedire visum esse, tam mirabilem Virum aliorum Religiosorum curæ aliquo tempore committi, ut ejusdem virtus & miracula, si forte a suis fratribus nimis leviter probata essent, ab istis diligentius per quotidianam consuetudinem examinarentur. Ut ut sit (neque enim aliquid certi edicere possumus) constat, Beatum die XXIII Julii anni 1653, jubente laudato Pontifice, litterisque a sacra inquisitione Romana datis, Assisio ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum translatum fuisse. Rem prout gesta est, pater magister Robertus Nutius, Assisiensis conventus tunc temporis Custos, exposuit in Summario fol. 102, num. 13, A. § 226, teste Bernino, unde sequentia accipe.

[75] Pater Josephus (verba sunt laudati patris Custodis) ex sacro S. Francisci conventu hujus civitatis (Assisii) anno MDCLIII, [quod quomodo exsecutioni mandatum fuerit,] quo anno ego dicto sacro conventui Custos præeram, abductus fuit jussu sanctæ memoriæ Innocentii X per litteras sacræ Congregationis sancti Officii, ad patrem magistrum Vincentium Mariam Pellegrinum, tunc inquisitorem generalem Perusinum missas, in quibus litteris mihi omnibusque Ordinis superioribus mandabatur, ut prædictus pater Josephus secundum expressum Pontificis mandatum prædicto patri inquisitori traderetur. Quæ litteræ, quodque in iis habebatur, præceptum, mihi patrique Josepho in angulo portæ dicti sacri conventus prælecta fuerunt. Laudatus pater inquisitor summo mane diei XXIII Julii dicti anni ad sacrum conventum advenit, quo tempore pater Josephus Missam celebrabat; quæ quia duabus circiter horis durabat, oportuit dictum patrem inquisitorem præstolari, nolente me interturbare voluptatem, qua in eo sancto Sacrificio fruebatur. Finita Missa, ipsum adivi in suo oratorio, dixique, patrem inquisitorem Perusinum cum eo loqui velle. Ipse mox lætus ait mihi: Veniat, bene venerit:

& respondente me, ipsum in ecclesia præstolari, surrexit e loco, in quo sedebat, Eamus, inquiens, & promptissime me secutus est.

[76] [Assisiensis conventus Custos,] Egressi ex capitulo veteri, dominum Alphonsum Confidatum, sacri Officii tum temporis in hac civitate vicarium, in claustro obvium habuimus, qui dixit mihi, patrem inquisitorem jam non amplius exspectare in ecclesia, sed ad januam conventus. Quo audito, pater Josephus turbatus est atque expalluit, & ad me conversus, ait: Pater Custos, num forte me vult captivum abducere? Reposui, nescire me, an ipsum vellet captivum abducere, sed, cum ipse obedientiam aliis commendasset, oportere eumdem eam primum exercere. Ad hæc dictus pater Josephus nihil respondit; sed cœpit gradum versus prædictam portam accelerare, ubi dictus pater inquisitor aderat; quo cum pervenissemus, invenimus dictum patrem inquisitorem cum suo vicario & quatuor satellitibus; lectisque ibidem litteris, ut supra dixi, pater Josephus inclinavit se in terram, ut dicti patris inquisitoris pedes oscularetur, quos hic magna cum modestia subtraxit. Cumque advertissem, dictum patrem Josephum eodem, quo supra, modo conturbari, dixi ei: Eja, pater Josephe, nunc tempus est crucem amplectendi & exercendi obedientiam. Ad quod ille hoc unum reposuit: O sancta obedientia; atque illico ex prædictæ portæ limine prosiliit in rhedam, quæ in istum finem adstabat, & in quam pater inquisitor prior fuerat ingressus.

[77] [oculatus testis, exponit,] Cum autem ipsum in rheda vidi, totus serenus & alacer erat & vultu ridenti. In eamdem rhedam ingressi sunt prædictus pater vicarius & Cæsarettus satelles: quod pater Josephus conspicatus, denuo expalluit. Hoc modo ad Capucinorum Petræ-Rubeæ conventum deductus fuit. Hactenus laudatus pater Robertus Nutius, ejusdem conventus Custos, & rei gestæ oculatus testis; ideoque, ut credere fas est, & ipsa præ se

fert narratio, sincerus relator. Exstat & alia de eodem argumento relatio Hyacinthi Libelli archiepiscopi Avenionensis, supra laudati, inter Considerationes ipsius, quarum trigesima quinta, ad Cardinalem de Lauræa transmissa, in Summario fol. 161, num. 15, F. § 7 recensetur, teste Bernino in Vita. In hac laudatus archiepiscopus de modo, quo Beatus Assisio abductus fuit, nonnihil quidem variat a supra laudato minimeque suspecto teste, loci Custode; cum tamen quædam itineris adjuncta Tifernum Tiberinum usque, quod Umbriæ civitas est, Citta di Castello indigenis appellata, ac ea præsertim, quæ ipse Tiferni tunc præsens vidit, in eadem commemoret, eam quoque Latine hic exhibeo, prout apud Berninum ex processu Italice recensetur.

[78] [Alia ejusdem rei narratio] Ætate nostra, ait laudatus archiepiscopus, vixit pater frater Josephus a Cupertino, Ordinis Minorum Conventualium, cui sacri illi honores, quæ solent Sanctis concedi, a sancta Sede jam parantur. Hic ex Assisiensi S. Francisci conventu, in quo habitabat, aliquando amotus, & Romanorum superiorum jussu a patre inquisitore Perusino ad quemdam conventum in ducatu Urbino abductus fuit. Qui scripserunt, illum captivatum & cum aliquo dedecore, quo sontes solent, deductum fuisse, nescierunt, quid dicerent, & historias suas implere voluerunt commentis, quæ personis, quas memorabant, minime congruunt. Inquisitor rheda vectus, Assisium advenit, eumque comiter invitavit, ut illam secum ascenderet. Invitanti Sanctus annuit, nec minimum restitit, imo potius indifferenti animo vultuque ridenti eamdem intravit. Mox primo sermone, quem pater inquisitor cum illo habuit, exhortatus eum amice est, modoque omnino suavi, ut bono animo esset, & protestatus est, eum minime captivum duci, uti ex sua suique vicarii præsentia forte inciderat suspicari. Et ut dictis fidem faceret, secundum in rheda locum ipsi assignavit, tertium vicario suo relinquens.

[79] Priusquam discederet, etiam eum monuit, ut, [per Libellum archiepiscopum Avenionensem,] si quid vellet, libere peteret; sese enim ac vicarium suum ei promptissime obsecuturos. Hæc eadem sæpius in via repetiit. Nihil hic de quatuor satellitibus, & de horum uno in rheda assidente meminit, omniaque paulo mitius exponit, quam facta esse constet ex mox recitato patris Nutii testimonio, cui tamquam rei gestæ spectatori potior fides adhibenda est. Hisce obiter observatis, cetera, quæ illustrissimus melius novisse potuit, prosequamur. Cum hisce, ait, urbanitatis officiis ac benevolentia Tifernum Tiberinum, carissimam patriam meam, ubi ego negotiorum domesticorum causa tunc versabar, illum deduxit, postridie mane ad destinatum sibi locum processurum. Curavi, ut in conventu S. Dominici hospitaretur, in eoque omnium optimum cubiculum obtineret. Mane illuc advenit, totoque eo die ibidem moratus est, quo tempore inquisitor sollicitus, ne quid ipsi deesset, eum sæpius invisit, ac semel coram me eidem ait: Pater, memento, quod toties tibi dixi, non esse te captivum, sed honorari a me, meque desiderare, ut cum te ad destinatum a superioribus locum deduxero, mea opera contentum deseram.

[80] Religiosi ipsi non modo de victu, sed de ceteris etiam omnibus necessariis benigne prospexerunt. [qui Tiferni Tiberini, ubi Beatus hospitatus est,] Post prandium ipsum invisi, meque cum illo in ejus cubiculo inclusi; qui interroganti mihi, an contentus esset, respondit, sese omni loco contentum vivere, quod sciret Deum ubique adesse, ac multo magis in eo loco, in quo experiebatur caritatem, qua a bonis illis patribus tractabatur. Post hæc sermonem de rebus spiritualibus exorsus est, sumptoque argumento de ingrato hominum animo, mirari se aiebat, nullum non hominem ad Crucifixi aspectum non confundi pudore, recordando, quanta Jesus Christus passus fuerit, & quam ingratum se quisque eidem exhibeat. Hæc

considerans, cœpit singulos Domini cruciatus enumerare, & agoniam, & flagella, & spinas & clavos. Dumque ista loqueretur, videbatur mihi os ejus acescere, & eo modo torqueri, quo solent ii, quibus ora acri aceto madescunt. Eodem tempore vidi ipsum ex quadam arca, in qua sederat, humi in genua subito prolapsum; tantumque strepitum genibus ediderat, ut graviter sauciatum crederem.

[81] Spectabatur oculis, nescio, qua ratione distortis, [ipsum insignem ecstasim patientem vidit,] id est, pupilla sub superioribus palpebris latitante, brachiisque in crucem expansis, eo modo, quo solet S. Franciscus depingi, cum sacra stigmata suscepit. Ad tam evidens sanctitatis indicium animo consternatus sum, meque indignum reputans, qui tam sacra prodigia viderem, eodem tempore in genua pariter procubui, & Deo gratias egi. Deinde denuo consedi, & attentis oculis consideravi ipsius corporis habitum, qui plane talis erat, qualem mox dixi. Sed experiri volui, an ejusdem brachium possem movere, quod difficulter potui. Motum tamen velut pendulum ab humero decidit, idque ego ad eas oscillationes impuli, quas a libellis in aëre suspensis quotidie fieri videmus: usque adeo brachium istud a naturali suo statu amotum apparebat. Elapso magno horæ quadrante, sibi redditus, sermone Neapolitano ait: Ignosce mihi, quod somno opprimar; & super arca sua rursum resedit. Cumque ego me industrium, rerumque spiritualium peritum simulans, eum reprehenderem, & motus istos perturbationis arguens, hortarer, ut imposterum ab iisdem abstineret; respondit mihi, posse se meis precibus adjuvari, ut hanc gratiam, quam sæpius frustra petierat, a Deo impetraret, aut saltem, ut iis motibus, quos in sua potestate non habebat, coram aliis liber esset.

[82] [& cum eodem collocutus fuit.] Tum petii, quid in ejusmodi mentis excessibus, qui tam singulares apparebant, a Deo sibi peculiariter ostenderetur. Respondit, ille aliquando se multa simul de Deo videre sine discretione formarum, ad eum modum, quo quis ingressus in cubiculum, tapetibus, picturis, speculis, lectulis Phrygii operis, aliisque hujusmodi rebus probe instructum, videt quidem, ibi pulcra esse, sed omnia sub uno conspectu & sine partium destinctione; aliquando singulare aliquod mysterium pro divino arbitratu sibi exhiberi. Sed innuens, fastidio sibi esse plura super hoc argumento mihi respondere, nauseantis instar petiit, ne quid præterea exquirerem, eo quod ignorans esset, nec novisset disserere. Hactenus laudatus archiepiscopus Libellus. Porro Beatus reliquum itineris, quod postero die cum patre inquisitore prosecutus est, non sine aliis prodigiis confecit, quæ quia in Vita edenda satis exponuntur, sciens hic prætereo.

[83] [In conventu Petræ-Rubeæ ex sacræ inquisitionis mandato] Cum autem ad conventum Petræ-Rubeæ pervenisset, a patre Joanne Baptista de Monte Grimano, ejus loci, uti Berninus ex processibus asserit, tum temporis Guardiano, quem Beatus, licet numquam antea visum, noverat, ceterisque ejusdem conventus Religiosis Capucinis benigne susceptus est. Quæ porro fuerint sacræ inquisitionis de eodem mandata & quam æquo animo ea ipse tulerit, liquet ex testimonio reverendi patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani, qui Capucinis per eam provinciam tum præerat, quod apud Berninum ex Summarii fol. 170, num. 14, C. § 316 Italice relatum, Latine feci. Is igitur hac super re sic loquitur: Hanc tamen fortitudinem Deus in fratre Josepho peculiariter residere fecit in postrema illius afflictione, quando ex sacro Assisiensi conventu amotus, & a satellitibus summo cum rigore ad nostrum Petræ-Rubeæ monasterium deductus fuit. Cum ego provincialis tunc essem, postridie adventus

dicti Patris illuc adveni, & ad triclinii januam scriptum affixum reperi, quod severissima reverendissimi patris inquisitoris de dicto patre Josepho mandata continebat, ut a patribus nostris rigide observaretur, ne cum quoquam seu seculari, seu Regulari, seu ecclesiastico, cujuscumque gradus & conditionis loqueretur.

[84] [ab omni cum exteris commercio semotus vivit.] Alterum ejusdem mandati exemplar affixum inveni ad portam cellæ dicti patris Josephi, quæ cella a dicto patre inquisitore ipsi assignata fuerat, eratque istius conventus obscurissima pessimaque. In hanc cellam, dicti patris Josephi visendi gratia, ingressus, reperi illum hilarem, contentumque ac veluti paradisi voluptate fruentem. Quinque diebus colloquia cum ipso miscui, ac semper æque hilarem comperi; nec umquam petiit, an causam scirem, ob quam ex sacro conventu Assisiensi abductus, tantoque cum rigore in hoc nostro Petræ-Rubeæ collocatus fuisset, quidve a se exigeretur. Hæc ipse, quibus Berninus ac Pastrovicchius ex aliis processuum locis in Vitis addunt, non modo omne cum aliis, præterquam cum Capucinis, alloquium, sed etiam omne litterarum commercium, a sacro inquisitionis tribunali eidem penitus interdictum fuisse; quod utrumque religiosissime observavit, ut in Vita edenda videre est.

§ VII. In conventu Petræ-Rubeæ miraculis elucens, ob nimium populi concursum ad conventum Foro-Semproniensem transfertur; inde ad Montem-veterem, ex quo Forum-Sempronii redit.

[Mulieris scirrhum sanat, puero visum reddit,] Detrusum in hunc Capucinorum Petræ-Rubeæ inter asperos montes conventum, & ab omni externorum commercio remotum, sua virtus ac miracula etiam celebriorem reddiderunt. Berninus ex hisce pauca aliqua recenset, de quibus Pastrovicchius ex studio brevitatis levissime tantum

meminit. Justina de Antimis inquit Berninus, laudans Summarium fol. 594, num. 41, A., § 49, & fol. 201, num. 15, A., § 102, septem annos molesto scirrho cruciata, cum suis pedibus nequiret, aliorum manibus ex patria sua Macerata, quæ ducatus Urbini civitas est, non procul a Petra-Rubea dissita, ad Petram-Rubeam conducta fuit eo unice fine, ut fratris Josephi Missæ interesset. Eadem fide, qua Euangelica hæmorrhoïssa per virtutem, quæ ex Jesu Christi corpore exibat, sanata fuit, hæc quoque pia mulier Maceratensis subito convaluit per virtutem, quam Jesus Christus ex fratris Josephi corpore emisit; & harum prima ad contactum vestium, altera per præsentiam in Sacrificio sana facta est. Urbini pileolus ejus, oculis Petri Santi, qui ex pervicaci fluxione visum penitus amiserat, impositus fuit, & ad pileoli contactum fluxio evanuit, visusque redditus est; & exclamante Santio; Mater ego video, mater ego video! tota domus in stuporem admirationemque sublimium hujus Servi Dei meritorum rapta est.

[86] Frater Joannes Baptista de Monte Grimano (in Summario fol. 302, [ceram pro Missa suppeditat.] num. 17, D., § 30, & fol. 517, num. 38, D., § 22, teste Bernino) guardianus conventus. Petræ-Rubeæ, quodam vespere apud fratrem Josephum conquestus est, quod non tantum ceræ sibi amplius superesset, quantum ipsi ad Missam suam postridie pro more suo diutissime protrahendam necesse esset: solebat enim duas ipsi horas impendere. Huic Servus Dei placide respondit: Confide, fili, ne turberis; Vetulus providebit; per Vetulum designans B. Felicem Capucinum, qui nunc a Clemente XI Pontifice Sanctorum catalogo adscriptus, cum Sancti titulo in aris honoratur. Postero mane, cum ecclesiæ janua primum aperta esset, persona quædam ignota fasciculum crassorum cereorum attulit & in altari deposuit, qui & vaticinium probarunt, & fratri Josepho ad celebrandas diuturnas Missas suffecerunt, quamdiu in eodem conventu

dehinc commoratus est. Quinimo dum ipse ad Petram-Rubeam habitavit, necesse non erat eleëmosynas conventui foris conquirere, Deo propter preces Servi sui necessaria suppeditante; prout in Summarii loco citato, § 32 legi asserit Berninus. Mitto alia pauca minoris momenti, quæ Berninus ibidem habet, multa alia, ut inquit, præteriens, quæ longum esset enarrare.

[87] [Ingens populi frequentia ad conventum confluit,] Quamquam S. Josephus ab omni cum exteris commercio sejunctus, ut supra diximus, viveret, permissum tamen ei fuit Missas in ecclesia publice celebrare. Hinc maxima populi frequentia, ad quem ejusdem fama, latissime sparsa pervenerat, ad eamdem ecclesiam, ut sacrificantem videret, e vicinis circum locis convolabat. Quantus hic fuerit concursus, docent testes fide digni in processibus, quorum dicta, a Bernino relata, Latine recensebo. Pater Joannes Baptista de Monte Grimano in Summario fol. 179, num. 14, C., § 376 hæc ait: Cum pater frater Josephus in conventu nostro primum cœpit habitare, tanta populi multitudo ex vicinis ac longinquis locis, ejusdem Missam audiendi causa, accurrit, ut aliqui etiam in tecta conscenderent; eaque occasione dictus pater Josephus a secularibus visus est in ecstases rapi. Hisce consonat patris Joannis Mariæ Foro-Semproniani, Capucinorum, ut supra dictum est, Provincialis testimonium, quod in Summario fol. 168, num. 14, C., § 302, teste Bernino, habet sequentia.

[88] [ut ipsum Missam celebrantem] Multæ personæ ecclesiasticæ, seculares & Regulares ex longinquis etiam regionibus ad nostrum Petræ-Rubeæ conventum concurrebant, ut Missæ ipsius, quam in hac nostra ecclesia publice celebrabat, interessent, viderentque atque admirarentur ejusdem ecstases & raptus, precibusque in angustiis ac infirmitatibus suis juvarentur. Tanta autem erat accurrentium frequentia, ut circa

conventum nostrum tabernæ casæque adventantium commodo excitarentur. Cumque ecclesia, dicto Patre Missam celebrante, multitudinem non caperet, in ejusdem tectum conscenderunt, tegulasque amoverunt, atque ipsos ecclesiæ parietes perforarunt. Consonat & pater magister Jacobus Roncaglia, Minor Conventualis, qui apud Berninum ex Summario fol. 579, num. 40, E., § 5 sic loquitur: Plurimæ personæ cum Regulares, tum ecclesiasticæ & seculares, prædictum servum Dei fratrem Josephum sæpissime viderunt ecstasibus inhærentem in omni loco, ubi habitavit; maxime tamen Petræ-Rubeæ, quando sanctitatis ipsius explorandæ gratia a Romanis superioribus ex sacro Assisiensi conventu ad dictum Capucinorum Petræ-Rubeæ monasterium deductus fuerat.

[89] [& in ecstases raptum videat;] Hisce ad Missam illius admittentibus utriusque sexus & omnis conditionis fideles, vicini populi magno numero illuc confluxerunt, non tam ducti curiositate, supernaturales ejus motus spectandi, quam pio desiderio spiritualem aliquem quæstum inde referendi. Alii quoque (dum non sacrificaret) cupientes rei veritatem explorare, hi uno, isti altero modo tentarunt, manus illius aliudque corporis membrum comprimentes, ac nonnumquam ipsum etiam fortiter brachiis constringentes. Verum hisce similibusque experimentis sibi minime reddebatur, sed immobilis permanebat, donec Deo placuisset ejusdem sensus ad pristina sua officia revocare. Simillima de frequenti populi concursu, amotis tecti tegulis, visisque palam ecstasibus testatus est pater Joannes Felix Bernabeus, Regens ac magister ejusdem Ordinis Conventualium, in Summario fol. 584, num. 40, F., § 29, cujus verba, quia præter dicta nil docent, prætermitto.

[90] Post hæc subdit Berninus ex Summarii fol. 329, [quam ob rem prohibetur Missam in ecclesia] num. 18, F., § 55, 76, in festo S. Augustini, seu die XXVIII Augusti, tantum

fuisse populi ad eamdem ecclesiam concursum, ut, ne quid secus accideret, superior judicaverit, beatum Patrem prohibendum eo die celebrare. Addit, dæmonem hoc mandato uti voluisse, ut Beatum perturbaret; sed irrito conatu. Antequam vero, ait, mandatum istud ei significaretur, voluit dæmon molestum ejus rei nuntium prævertere; ideoque speciem elegantis adolescentuli indutus, illius cellæ janua turbide aperta, digito minitabundus eidem ait: Non dices, non dices hoc mane Missam. At frater Josephus nihil conturbatus, Faciam, inquit, quod vult Deus; & immotus perrexit se (ad Missam celebrandam) comparare; ne levissimo quidem aspectu infernum nuntium dignatus. Superveniente autem guardiani mandato, Servus Dei prompte obsecutus est, & de Sacrificio suo sacrificium Deo obtulit.

[91] Eadem ratio superiores deinde compulit, ut Beatum a publico in ecclesia conspectu in posterum penitus arcerent, [publice celebrare, & ex sacræ inquisitionis mandato] Missaque in eadem dicenda interdicerent. Ita testatur pater Joannes Baptista a S. Agatha Capucinorum in eodem conventu vicarius, cujus verba Berninus ex Summarii fol. 147, num. 13, C., § 124 recitat Italice, & ego Latine subjungo. Cum ego vicarii munere functurus ad conventum Petræ-Rubeæ primum adveni, concurrebant millia hominum, & præ nimia populi frequentia etiam tectum ecclesiæ ex parte apertum fuit, quod nondum integre reparatum vidi. Et ego eo adveniens, ex superiorum præscripto vetui, ne pater frater Josephus ab aliis, quam a Religiosis nostris imposterum videretur. Non parum quoque sacræ Romanæ inquisitionis præsidibus ille populi concursus, turbæque displicuerunt; ad quas evitandas simul & Capucinos Petræ-Rubeæ, ut credibile est, adventantium ac Beatum videre cupientium molestia liberandos, iidem decreverunt illum hinc quoque amovere, & quam possent secretius in quodam alio

conventu abdere, ubi solitariam vitam ageret, omnibus, præterquam ejusdem loci Religiosis, ignotus.

[92] Ad hanc rem aptior visus ipsis est Foro-Sempronianus Capucinorum conventus, [ad conventum Foro-Sempronianum,] cujus situm Berninus sic indicat: Forum-Sempronii situm est in ducatu Urbini, decem milliaria ab ea civitate, a qua ducatus nomen habet, aliquot montibus circumdatum, in quorum unius apice Capucinorum conventus sedet. Laudati itaque præsides litteris ad Ascanium Maffeum, archiepiscopum Urbinatem datis, mandarunt, ut patrem Josephum ex Petræ-Rubeæ conventu ad prædictum Foro-Sempronianum clanculum transferri, ibidemque ab omnium hominum, præterquam Capucinorum commercio oculisque submotum servari curaret. Hæc ceteraque eodem spectantia mandata laudatus archiepiscopus per Marium Vivianum ecclesiæ suæ canonicum & archipresbyterum, quanta potuit sedulitate, exsecutus est. Berninus pium beati Viri ea occasione dictum observat. Cum enim hic locum, quo commigrandum sibi esset, ab archipresbytero petiisset, isque negasset, eum posse indicari; securus, quo demum abduceretur, facete institit, utrum in destinato sibi loco Deus adesset; illoque id utique affirmante; Eamus ergo, inquit, alacriter; Crucifixus adjuvabit.

[93] [atque hinc ad Montemveterem mittitur;] Quod ad tempus attinet, oportet, profectionem hanc in finem Octobris aut initium Novembris anni 1653 incidisse. Ex supra dictis enim die XXIII Julii ejusdem anni ex Assisiensi conventu ad Petram-Rubeam conductus fuit; apud Petram-Rubeam vero tribus tantummodo mensibus (seu compteti hi fuerint seu inchoati) commoratus esse, in Vita edenda diserte dicitur. Porro quamquam in Beato ad Foro Sempronensem conventum transferendo diligentissime cautum fuerit, ne novum ejusdem domicilium cuiquam innotesceret, suboluit tamen accolis, quorum importunis

precibus Capucini Foro-Semproniani non nisi perquam difficulter, sed constanter tamen, ut jussi erant, ejus videndi copiam facere recusarunt. Dum hic ita latitaret, alia denuo causa mutandi paulisper domicilii occurrit. Celebranda erant in laudato conventu Capucinorum provincialia comitia, quorum tempore Josephum ibidem minime relinquendum sæpe laudatis inquisitoribus Romanis visum fuit.

[94] [ex quo ad Foro-Semproniensem reversus est.] Horum itaque jussu ad proximum Capucinorum conventum Montis-veteris, vulgo di Monte vecchio, qui non longe a Foro-Semproniensi Orientem versus situs erat, interim transmissus fuit. Berninus, laudans Summarium fol. 170, num. 14, C., § 323, scribit, S. Josepho equum ad hoc iter conficiendum a vicario episcopi Foro-Semproniani missum fuisse; sed cum guardianus advertisset, ipsum equitandi artem minime callere, ideoque per scabrosas illas vias manifesto vitæ periculo exponendum, si pergeret, ab eodem revocatum fuisse, ac Capucinorum habitu, ne agnosceretur, indutum, & a duobus Capucinis comitatum, iter pedibus confecisse. Gesta ejus in Monte-veteri habes in Vita edenda; at quamdiu ibidem manserit, incertum est. Ceterum post habita prædicta comitia ad conventum Foro-Semproniensem reductus est.

§ VIII. Alexandro VII Papa mandante, suis redditus, reliquum ætatis suæ Auximi transigit: vitæ illius brevis chronotaxis.

[Minoribus Conventualibus flagitantibus,] Annus quartus ferme jam expletus erat, ex quo S. Josephus a sui Ordinis Religiosorum convictu remotus, apud patres Capucinos degebat, cum tandem fratribus suis cum summo eorumdem gaudio redditus fuit. Rem, ut acta est, Berninus paulo latius explicat, quam Pastrovicchius, ideoque juverit eam ex ipso breviter exposuisse. Dolebant sane

patres Minores Conventuales, quod tam illustre Ordinis sui ornamentum, quale erat Josephus, non sibi, sed Capucinis concrederetur; sed cum ita ferrent sacræ inquisitionis atque ipsius etiam summi Pontificis Innocentii X mandata, dolebant magis, quam querebantur; nec audebant pro eo recuperando intercedere; vel, si tentaverint, certe exauditi non fuere. Favebat quidem eorum votis Cardinalis Fabius Chisius, qui postmodum summus Pontifex, Alexander VII dictus est, & Innocentii animum ea super re pertentaverat; sed cum hunc in sententia sua obfirmatum deprehendisset, ipse quoque silendum existimavit.

[96] [Alexander VII Papa S. Josephum] Innocentio X inter hæc vita functo, eodemque Cardinale Fabio Chisio die VII Aprilis anni 1655 in Pontificatum suffecto, spes magna patribus Conventualibus affulsit, Josephum tandem aliquando recipiendi. Celebrabant illi opportune Romæ mense Majo ejusdem anni sui Ordinis comitia, eaque occasione octo superiores provinciarum ad novi Pontificis pedes, cujus mentem ex collata olim opera perspectam habebant, ab iisdem delegati fuerunt, qui fratrem suum Josephum a Cupertino sibi restitui, totius Ordinis nomine supplicibus precibus flagitarent. Motus æqua petitione Pontifex, quæsivit, ad quem igitur conventum ipsum destinarent. Quibus unanimi voce respondentibus, Ad Assisiensem; reposuit: Nequaquam: in illo sanctuario unus sufficit S. Franciscus; nec deesse ibi possunt boni Religiosi, ubi semper fuit schola veræ observantiæ. Atque hæc quidem tunc: paucis vero post diebus significari iis jussit, velle se, ut ad Auximanum S. Francisci conventum destinaretur.

[97] De Auximo sequentia notat Berninus: Auximana civitas (incolis Osimo dicta) sita est in provincia Marchiæ Anconitanæ, [ipsis restitui mandat, non anno 1655,] sex milliaribus a sacra Domo Lauretana, quinquaginta Foro-

Sempronii distans, mercibus affluens, salubris aëris & fertilis humi; conventus autem S. Francisci Conventualium, in ipsa civitate situs, satis opulentus est. Non tam his tamen rationibus Alexandrum inductum credit, ut patrem Josephum illuc mittendum mandaret, quam quod Auximanæ ecclesiæ tunc præesset episcopus sororis suæ uterinæ filius Antonius Bichius, postea Cardinalis, a quo certo confidebat fore, ut Josephus tractaretur liberaliter & simul in solitaria vita ab omni externorum hominum commercio semotus contineretur; quod utrumque Pontifex vehementer cupiebat. Ita quidem ille; verum ex hac consideratione Alexander in sua sententia confirmari quidem potuit, sed non ad eam primo capessendam induci, si, ut vult Berninus, legati a comitiis mense Majo anni 1655 Romæ habitis ipsum pro Josephi reditu adierint, & ipse paucis post diebus jusserit, eumdem ad Auximanum conventum transferri.

[98] Ratio est, quod apud Ughellum tom. 1 Italiæ sacræ auctæ, [sed 1656, & Auximum mitti,] col. 513 Ludovicus Bettus Auximanus episcopus die XXVII Octobris anni 1655 obiisse, eique laudatus Bichius anni sequentis mense Octobri, vel, ut in margine notatur, mense Martio in episcopatum successisse dicatur. Pastrovicchius in Vita edenda consentit, Bichium Auximanæ ecclesiæ episcopum præfuisse, dum summus Pontifex istud mandavit paucis diebus postquam consilium de Beato Assisium mittendo rejecerat; sed mandatum ipsum anno 1656 affigit, quod deinde etiam fecit Berninus, uti mox observabo. Quam ob rem dicendum est, aut comitia illa primum anno 1656 celebrata fuisse, aut certe octo illos legatos, si revera a comitiis missi fuerint, hoc anno ad Pontificem primum accessisse. Non prius tamen, quam anno 1657 prædictum Alexandri præceptum exsecutioni mandatum fuit propter pestilentiam, quæ anno præcedenti aliquot Italiæ partes, & inter has Romanam urbem atque Ecclesiasticum statum graviter afflixit.

[99] De hac mora, morœque causa consentiunt Berninus & Pastrovicchius, [quod anno 1657 exsecutioni mandatum est,] quorum prior cum unum annum inter mandatum & ejusdem exsecutionem diserte interponat, manifeste indicat, idem illud mandatum, non anno 1655, sed 1656 editum fuisse. Eodem teste, expeditæ hac super re litteræ a sacri Officii tribunali ad Gibertum Borromæum, S. R. E. Cardinalem, Conventualium protectorem fuere, qui postquam cum Capradosso Ordinis Generali contulisset, imposita est ejusdem Ordinis secretario ea provincia, ut patrem Josephum e Foro-Semproniensi Capucinorum conventu ad Conventualium Auximanum, quam posset secretius, conduceret. Jussis obtemperans secretarius, die VI Julii, hora noctis secunda, præcitato anno 1657 ad Foro-Semproniensem conventum advenit, litterisque sacri Officii exhibitis guardiano, S. Josephum, de proximo discessu suo divinitus præmonitum, eadem nocte inde abduxit, ac quarto post die, seu X ejusdem mensis Julii, sero vespere in conventum Auximanum inter suorum gratulationes salvum & incolumem adduxit.

[100] [cum quatuor fere annis apud Capucinos vixisset.] Quatuor itaque annis præter aliquot dies B. Josephus inter patres Capucinos vixit, Assisio abductus die XXIII Julii anno 1653, & ex Foro-Semproniano conventu ad suos reversus die VI Julii anno 1657. Ex quatuor autem illis annis tres menses in conventu Petræ-Rubeæ, reliquum temporis in Foro-Semproniano traduxit, excepto tamen illo dierum aut hebdomadum spatio, quo propter comitia provincialia in postremo loco celebrata jussus est interim in conventu Montis-veteris commorari. Acta ejus in novissimo itinere suo Auximum versus, ceteraque ab eodem in hoc conventu ad mortem usque gesta, lector in Vita edenda inveniet, ut necesse non sit ea hic pluribus exponere. Verumtamen non ingratum fore existimavi, si ejusdem vivendi normam, quam reliquo vitæ suæ tempore tenuit, velut sub unum conspectum subjicerem iisdem

verbis, quibus, teste Bernino, ea Italice exposita legitur in Summario fol. 205, num. 15, A., § 130, eo modo, quo subdo.

[101] [Quotidianæ illius exercitia] Ad solis ortum surgebat e lectulo, & recta ad oratorium suum sese conferebat, Horam primam canonicam, aliaque Officia, ut dicetur, recitaturus, donec ejus pater spiritualis, ut eum de peccatis confitentem audiret, in oratorium inductus esset. Confessione peracta, parabat se ad sanctum sacrificium Missæ celebrandum. Deinde ad sacellum, ubi Missam secreto diceret, sibi destinatum descendebat: quo cum pervenisset, sacerdotali habitu indutus, & coram altari prostratus in genua, litanias beatissimæ Virginis devote recitabat. His finitis, Missam ordiebatur, quam magna cum devotione celebrabat, eaque sine ecstasibus unam circiter horam durabat, cum ecstasibus vero aliquando diutius, aliquando minus. Videtur hic aliquid deesse; nam & res ipsa exigit, ut ecstases Missam diutius extraherent, & aliunde comperi, soluisse Beatum duas circiter horas, dum in ecstases raperetur, sacrosancto isti Sacrificio impendere. Videtur itaque relationis auctor indicare voluisse, tantumdem temporis, plus minusve, ab eo ecstasibus impensum fuisse, quantum Missæ impendebatur. His observatis, relationem prosequamur.

[102] [quamdia deinde apud Religiosos suos] Post finitam Missam aliquantulum in sacello morabatur; deinde ad oratorium redibat, Horas canonicas, aliaque divina Officia, quæ dicere soluerat, persoluturus; videlicet Officium B. Mariæ Virginis, Officium defunctorum, Officium sanctæ Crucis & Spiritus sancti, septem psalmos pœnitentiales cum precibus; &, si tempus supererat, hoc Coronæ impendebat. Hisce ergo exercitiis occupabatur usque ad horam prandii, quod, postquam ceteri Religiosi pranderant, ipsi afferebatur. Sumpto prandio, quod brevi expedierat, redibat ad oratorium, Deo gratias acturus; &

si quis Religiosorum cum eo colloqui volebat, libenter auscultabat, donec ad cellam suam se reciperet, in quam sese includebat, ut unius aut sesqui horæ circiter spatio quiesceret. Expergefactus, revertebatur ad oratorium, preces suas usque ad Ave Maria, (id est, donec ad recitandam salutationem angelicam signum de more daretur) ibidem prosecuturus, nisi ab aliquo Religioso, spiritualis auxilii petendi gratia ad se adducto distineretur.

[103] Ad Ave Maria socius illius lucernam accendebat; [in conventu Auximano,] solebat enim fere usque ad horam tertiam noctis spirituales libros legere, legebatque tum ordinarie Missam postridie dicendam, Vitam alicujus Sancti ejus diei, librumve aliquem Concionum aut Scripturæ sacræ. Versus horam noctis tertiam ferebatur ei per socium suum cœna, postquam patres cœnassent. Post hanc repetebat oratorium, interdum aliis Religiosis comitatus, qui eum invisebant, ut de rebus asceticis dissererent, vel cantilenas in Dei laudem concinerent. Hæc autem omnia per unam subinde horam ac mediam protrahebat; & licet alii recederent, ipse manebat in oratorio usque ad medium noctis, quando matutinum Officium erat recitandum. Dicto Matutino, quieti se dabat usque ad solis ortum. Atque hæc fuere illius diurna nocturnaque exercitia, quæ a suo in nostrum conventum ingressu usque ad supremum morbum semper observavit, nisi cum adversa valetudine aut aliqua infirmitate impediretur.

[104] Naturalis quoque ipsius vitæ ratio ea erat, quam subdo. [supervixit ad mortem usque,] Toto anno non aliis cibis vescebatur, quam esurialibus: in cibo & potu sobrius erat, videbaturque invitus vesci, ita abalienatus a sensibus, ut non adverteret, quid manducaret, biberetve. Quod ad vestitum attinet, pro subucula linea laneam gestabat & sine ulla tela linea, par subligaculorum; nudos

pedes crepidis indutus. Superior vestis, ceterorum Religiosorum more, tunica & cucullus lanea erant, texta Assisii; hiemali tempore penulam seu pallium addebat. Iisdem vestibus semper indutus dormiebat, partim sedens, partim super tribus tabulis extensus, ad caput habens cervical tela linea obductum, & pro strato pellem ursinam. Domicilium ejus constabat ex duobus cubiculis, quorum unum erat oratorium, alterum quieti destinatum; in quibus semper, totoque suæ vitæ ad mortem usque tempore solitarius vixit. Hactenus laudata relatio in Summario, quæ cujus sit, Berninus non indicavit.

[105] Austerum vitæ genus, quod in perpetua corporis maceratione, [quam ibidem obiit.] præsertim junior duxerat, vires ejus vehementer attriverant, ac stomachum imprimis ciborum parcitas qualitasque non parum debilitaverant. Decem enim annos, ut Berninus ex Summario fol. 91, num. 13, A. § 69 asserit, sine vino, septem sine pane, ac integram Quadragesimam paucis nucibus contentus exegerat. Emaceratum itaque tot modis corpusculum, quod sexaginta annorum ætas præterea aggravabat, die X Augusti anno 1663 febris corripuit, quæ superstites vires corrodendo, ipsum humanis rebus tandem exemit. Die XVII Septembris ejusdem anni sacro Viatico, eodemque aut certe postero die extrema Unctione munitus fuit: die vero XVIII exeunte, vel ineunte XIX, in placidissimum risum prorumpens, vultuque inopina luce coruscante, sanctissimam animam ad cælum emisit, natus annos sexaginta, menses tres, diem unum. De anno menseque consentiunt omnes. Berninus ac Pastrovicchius tempus insuper strictius assignant, nempe quadrantem circiter ante horam sextam nocturnam Italicam, quæ diem XVIII secuta est, quod tempus videtur in initium diei XIX incidisse, cum tam in Brevi, quo duo ejusdem miracula a Benedicto XIV feliciter regnante Pontifice approbantur infra num. 121, quam in Brevi beatificationis infra num. 128, die XIX Septembris obiisse dicatur. Obiit autem in

conventu Auximano, cum ibidem annis sex, duobus mensibus ac diebus octo habitasset.

[106] [Chronotaxis vitæ illius] Ex hactenus dictis totius vitæ illius chronotaxis in hunc modum conficitur. Natus est Cupertini, in oppido regni Neapolitani, diœcesis Neritonensis, die XVII Junii anno 1603. In seculo sutoriam artem aliquo tempore didicit. Anno 1620 (mensem Augustum addit Berninus,) adeoque ætatis suæ decimo octavo, a patribus Capucinis inter sui Ordinis laïcos admissus, in conventu Martinæ tirocinium inchoavit, frater Stephanus appellatus. Anno sequenti, sive Christi 1621 ante Pascha, quod tunc die XI Aprilis celebratum fuit, ex eodem tirocinio domum remissus est. Post hæc, incertum, quo tempore, annitentibus matre & avunculo suo, Ordinis Minorum conventualium presbytero, obtinuit, ut inter ejusdem Ordinis Tertiarios laïcos, quos Oblatos appellant, cooptaretur in conventu S. Mariæ Cryptellæ, seu della Grottella nuncupato, prope Cupertinum, ubi stabuli mulæque domesticæ curam gessit, & aliquo etiam tempore avunculo suo socius adjunctus fuit.

[107] [hactenus deducta] Anno 1625, ætatis suæ XXIII inchoato, die XIX Junii ad ejusdem Ordinis habitum clericalem admissus, & novitiis clericis adscriptus, tirocinium suum in laudato Cryptellæ conventu exorsus est, ibidemque anno insequenti solemniter professus est. Anno 1627, die XXX Januarii ab episcopo Neritonensi minoribus Ordinibus, die XXVII Februarii subdiaconatu, diaconatu vero die XX Martii ejusdem anni & ab eodem episcopo Neriti initiatus est. Sacerdotium denique anno 1628, die XXVIII, vel forte IV Martii, ab episcopo Castrensi suscepit. Anno 1638, die XXI Octobris (teste Bernino) ex dilecto sibi Cryptellæ conventu Neapolim profectus est, evocatus a sacræ inquisitionis tribunali, apud quod velut impostor immerito accusatus fuerat. Post probatam Neapoli innocentiam ejus, agnitamque sanctimoniam,

cum litteris ab eodem tribunali acceptis Romam ad patrem Generalem sui Ordinis destinatus est, & ab hoc post aliquam in Urbe moram ad S. Francisci Assisiensem conventum in Umbriam transmissus fuit.

[108] [breviter recensetur.] Dum in hoc conventu cælestibus deliciis afflueret, & miraculis clarus, omnibus in veneratione esset, litteris a Romano sacræ inquisitionis tribunali, jubente Innocentio X summo Pontifice, die XXIII Julii anni 1653 inde ad Petræ-Rubeæ Capucinorum conventum, atque hinc post tres menses ad Foro-Sempronianum, qui Capucinorum pariter est, ob concurrentis ad ipsum populi frequentiam translatus fuit, & ab exterorum hominum consortio prohibitus. In hoc posteriori loco triennium circiter exegit, pauco interim tempore in Monte-veteri, apud Capucinos tamen, degit, donec provincialia ejusdem Ordinis comitia apud Forum-Sempronii celebrabantur. Tandem anno 1657, die VI Julii, mandante Alexandro VII, qui Innocentio X in Pontificatum successerat, ex Foro-Semproniano conventu ad Auximanum Minorum Conventualium conductus, eoque die X ejusdem mensis adveniens, sui Ordinis fratribus, a quibus quatuor fere annos exsulaverat, cum ingenti utrimque gaudio restitutus fuit. Ex hoc denique loco, post annos sex, menses duos, dies octo, relictis ibidem mortalitatis exuviis, ad cœlos emigravit, sanctimonia illustris ac miraculorum frequentia vivus æque ac mortuus clarissimus.

§ IX. Beati sepultura, & aliquot brevia elogia per scriptores synchronos.

[Venerabile corpus præter morem loculis inclusum] Præsentissimo vitæ periculo, in quo S. Josephus Auximi versabatur, Romæ intellecto, Alexander VII Pontifex, quanti illius sanctitatem faceret, palam fecit. Ejusdem enim jussu, teste Bernino ex Summario fol. 1, num. 1 A., §

1, Cardinalis Flavius Chisius sequentem epistolam ad Antiochum Honofrium, Auximatis episcopi vicarium dedit, quam ex Italica Latinam hic exhibeo. Illustrissime & reverendissime domine vicarie generalis. Dolorem non vulgarem, quem ex gravi infirmitate patris fratris Josephi a Cupertino, per varias dominationis vestræ litteras cognita, conceperam, nunc auxerunt eæ, quibus die XVII hujus ad me datis significas, eumdem in supremo agone versari. Si a Domino Deo ad alteram vitam evocetur, dominatio vestra curabit, ut corpus illius in loculo (quamquam id insolitum sit) deponatur, curabitque, ut in sepulcro, quod pro sua prudentia ad propositum magis convenire judicaverit, inhumetur. Monendum tamen, ut omnia peragantur sine insolita & extraordinaria significatione &c. Romæ XXII Septembris MDCLXIII. Addictissimus dominationi vestræ F. Card. Chigi.

[110] Verum hasce litteras ipse Cardinalis Antonius Bichius, [& balsamo conditum inhumatur.] Urbini legatus & episcopus Auximanus jam prævenerat, uti ex Summarii folio 237, num. 15, D. § 7 & sequenti docet Berninus. Deputaverat enim laudatum vicarium suum generalem Honofrium, archidiaconum Fiorenzium & canonicum Pinium, qui Beati Viri funus procurarent. Hi vero venerabile corpus cum publico instrumento recognitum, aperiri, balsamoque & odoriferis herbis condiri jusserunt, atque in loculo cupressino, quem alteri querno incluserunt, depositum, ante altare Virginis sine labe conceptæ in sepulcro recens excavato inhumari. Deinde aliud quoque instrumentum, quo de corpore, loculo ac sepultura constaret, per Joannem Hilarium, notarium & cancellarium episcopi Auximatis, fieri mandarunt, saxumque uno ac dimidio pede longum unoque latum, cui crux cum tribus montibus incisa erat, sepulcro imponi, quod suo tempore ibidem etiam fuisse ait Berninus. Non sine miraculo tamen ipsa sacri corporis inspectio & unctio facta est; nec sine ingenti populi concursu, cujus pietati

illud die XIX & XX publice expositum fuerat, post celebres exsequias tumulatum fuit; sed cum hæc in Vita edenda satis exponantur, iis hic supersedeo.

[111] Non abs re tamen fore arbitratus sum, si duas de S. Josephi felicissimo obitu epistolas, [Cardinalis Facchinetti epistola] quas Berninus ex Summario recitat, hic subjungerem, ut ex hisce etiam liqueat, quæ tum fuerint optimatum virorum de ejusdem eminenti sanctitate judicia. Prima, pro qua Berninus laudat fol. 5, num. 3, B. § 1, est epistola Cardinalis Cæsaris Facchinetti, episcopi Spoletani, qua ad amicum suum, a quo de Josephi morte per litteras certior factus fuerat, Italice respondit in hunc modum, Perhumana epistola, quam reverendissima paternitas vestra ad me dedit, magno mihi solatio fuisset, nisi me nuntio de obitu patris nostri Josephi a Cupertino, prius mortui, quam de ipsius morbo inaudieram, perculisset. Piis hominibus suum præmium in morte est. Hinc gaudendum mihi est de tanta jactura, cum hæc causa sit certæ spei & perennis præmii tam religiosæ animæ. Hisce tamen non obstantibus, hujusmodi funera humanæ naturæ nostræ acerba sunt, quod integræ vitæ hominum commercio destitutos nos videamus, quando non amplius ad manum habemus similes auxiliatores; convenitque, nos tristari de divortio, non ex defectu gaudii de eorum felicitate, sed propter intercessionem pro nostra.

[112] [de S. Josepho] Tantam itaque jacturam cum paternitate vestra doleo. Habuisti in patre Josepho a Cupertino magnum contemplatorem, perfectissimum pauperem, humilem efficacissimis validisque experimentis confirmatum, subditumque tam obsequentem, ut numquam, quod sciam, ullum propriæ voluntatis indicium dederit. Viginti sex annis amicitia ejus usus sum, nec umquam illum uno die alium quam altero potui deprehendere, sed semper divinæ voluntati

conformem, semper majoris gloriæ Altissimi cupidum, hominumque beatitatis avidum, in quorum obsequio vitam suam millies impendisset. Ut quo periculo subduceret, corrigeretque quemlibet discolum, & ad Deum adduceret, solvebatur in lacrymas, asperisque sui afflictationibus eumdem ad frugem revocare conabatur. In colloquiis de Deo familiari sermoni eruditionem miscebat, ita ut simplicitate sua amorem sui ingereret & doctrina satisfaceret: nec alteri tamen libro, quam Crucifixo studuerat.

[113] [paulo post hujus obitum scripta:] De gratia & natura audivi illum mirabiliter disserentem, cum ineffabilibus verbis divinam primæ potentiam extolleret, & secundæ libertatem demonstraret. Illius ecstases omnibus notæ erant. Vidi illum quatuor digitis a terra sublevatum, multique e domesticis meis mecum viderunt. Vultus ejus simulacrum erat religiosæ gravitatis & effigies devotissimæ amœnitatis. Conversio ducis Brunsvicensis precibus fratris Josephi a Deo concessa est, & in ducis cum Patre colloquio dux sese victum dedit argumentis patris Josephi, qui de illa anima triumphavit, quia Deus ipsi vires & sapientiam indiderat &c. Spoleti die 2 Octobris MDCLXIII. Reverendissimæ paternitatis vestræ &c. Cæsar Cardinalis Facchinettus. Ita ipse. Altera epistola, quam Berninus in Summario fol. 273, num. 15, H., § 1 legi asserit, & Italice pariter exhibet, scripta est a Joanne Baptista Penna, episcopo Vigiliensi in provincia Bariana, ad Bonaventuram Claverium, episcopum Potentinum, jam alias laudatum.

[114] [item altera Joannis Baptistæ Pennæ] Accepi, inquit, illustrissimæ dominationis vestræ litteras, in quibus sancti patris fratris Josephi a Cupertino mortem mihi notam facis. Doleo de jactura, quam Christiana respublica fecit; licet gaudeam, quod certus sim, illum jam nunc in cælo frui ea mercede, quam promisit Deus

diligentibus se. Sane, illustrissime Domine, ex animi sensu loquor, dico, De illa jactura, quia ego illum pro Sancto semper habui, postquam novi & cum eo conversatus fui. Referam illustrissimæ dominationi vestræ, tamquam dignissimo Seraphicæ Religionis prælato, aliqua, quæ experimento comperta habeo. Primo sensi odoris suavissimi fragrantiam, intensam, neque naturalem, quæ meis manibus adhæsit, quamque ego sensi in mea viscera penetrare; & quæ pauco aliquo tempore duravit. Conceptam de sanctitate illius æstimationem mihi confirmavi ex eo, quod, cum idiota esset, nihilominus sentirem tranquillari mihi animum meum circa ea, de quibus cum eo disserebam, non secus ac si excellentissimus theologus fuisset. Ex alacritate quoque illius & sermone comperi, virtutem ejus minime vanam aut simulatam fuisse.

[115] Ad hæc cum postrema vice de Tiburtino conventu, [episcopi Vigiliensis.] per Eminentissimum Cardinalem Roma bonæ memoriæ suppresso, cum eo loquerer, in eaque re cum ob obsequia Cardinali præstita, tum ex effectu erga Religionem meam (Augustinianam) aliquantulum commotus essem, dum ista referrem; ipse, licet facie esset hilari, severam subito induit, & subiratus Breviarium manu percutiens, hæc ait: Nihil hoc ad istud, quod futurum est: ipsi norunt, ipsi a Spiritu sancto moventur. Ego Deum precor pro domino Cardinale Roma, quia bona de eo narrari audivi. Quibus verbis, quantum mihi videtur, aliorum conventuum suppressionem, quæ postmodum secuta est, prædixit; quia Bulla tunc nondum edita fuerat. Die 1 Novembris MDCLXIII. Devotissimus & obstrictissimus famulus Joannes Baptista episcopus Vigiliensis. Bulla, de qua hic agitur, haud dubie fuit ea, quam Innocentius X Pontifex Maximus edidit pro parvorum conventuum Regularium, quibus conveniens personarum numerus non suppetebat, in Italia exstinctione, quam Bullam habes in Bullario Romano tom.

5, pag. 523 & sequentibus, ubi data notatur Idibus Octobris anni 1652.

[116] Hisce duabus sacrorum præsulum litteris addo unum & alterum scriptorum testimonium, [Ejusdem Beati breve elogium] quos Berninus cap. ultimo Vitæ synchronos ei fuisse affirmat. Horum primus, teste Bernino ibidem, in Ms. compendio Vitæ venerabilis servi Dei Silvestri Calia, laïci Ordinis Minorum Reformatorum S. Francisci, folio 7 ad propositum nostrum hæc habet: Intimam amicitiam & fraternam consuetudinem (frater Silvester) coluit cum patre fratre Josepho de Cryptella, Minore Conventuali, & pariter Cupertinensi, qui se totum Deo & contemplationi rerum divinarum dedit, sanctis præceptis monitisque a fratre Silvestro specialiter imbutus; magnos in perfectione progressus fecit, & tribus abhinc annis Auximi in Marchia Anconitana obiit magna cum fama sanctitatis, alter nostrorum temporum sanctus pater Franciscus ab omnibus habitus. Iste frater Josephus a Cryptella, tum juvenis, & in semita perfectionis tiro, magni faciebat & venerabatur semper, velut Sanctum, fratrem Silvestrum; de quo cum loqueretur, magna dicebat. Pari modo frater Silvester non tantum magni faciebat fratrem Josephum, verum etiam vaticinatus est, eumdem insignem Sanctum evasurum, talemque, ut multis admirationi futurus esset, uti contigit, licet iste frater Josephus tum temporis laïcus esset in conventu Cryptellæ, neque tum inter novitios clericos fuisset receptus, ac talium rerum eventus procul abesset ab humana notitia sine peculiari lumine divino.

[117] Hactenus anonymus, post quæ Berninus observat, [per duos scriptores synchronos.] laudatum venerabilem fratrem Silvestrum die XIV Julii anno 1621 obiisse; quod si ita sit, non potuit certe hic, nisi admodum exiguo tempore S. Josephum laïcis in conventu Cryptellæ adscriptum cognovisse, uti liquet ex dictis supra § 1. Observat secundo, de ea utriusque viri sancta amicitia mentionem

fieri in processu Neritonensi fol. 606 & sequentibus, & in Summario edito fol. 209, num. 17 De sublimi & heroïca spe, § 1. Alterum testimonium, ab eodem Bernino relatum, est Dominici Sapani Cupertinensis, Beato pariter synchroni, qui in Ephemeridibus Mss. rerum sui temporis, fol. 21 hæc ait Italice: Die XVIII Septembris ejusdem anni MDCLXIII in civitate Auximana in Marchia Anconitana pater frater Josephus Desa obiit cum opinione & fama universali sanctitatis heroïcæ. Mortem illius tota doluit provincia, ubi ejus virtutes notæ sunt, quippe qui in terris vixit velut Seraphinus in carne, semper ardens & per divinum amorem ecstaticus. Ex hisce liquet, quæ fuerit de Josephi sanctitate mortis suæ tempore communis existimatio, quæ etiam ex Vita edenda magis apparebit, quamque summi Pontifices, ac novissime Benedictus XIV, universæ Christi Ecclesiæ in terris feliciter præsidens, suo calculo comprobarunt, prout sequens § docebit.

§ X. Causa beatificationis illius introducta, & a Benedicto XIV Papa feliciter perfecta.

[Innocentius XI signat commissionem pro introductione causæ:] Biennio post beatum Josephi obitum processus de Vita ac miraculis ejusdem in civitatibus Neritonensi, Assisiensi & Auximana, potestate ordinaria confecti fuere; quibus Romam transmissis, & a sacra rituum Congregatione mature examinatis, venerabilis servus Dei Innocentius XI Pontifex Maximus, die XXXI Augusti 1686 commissionem pro introductione causæ ipsius signavit, teste Pastrovicchio in Vita edenda, num. 126. Consequenter ad hanc novi processus auctoritate Apostolica in iisdem locis de more instituti factique sunt, & de promovenda Josephi beatificatione & canonizatione sedulo laborari cœptum. Verum quominus dubium de Virtutibus illius theologicis ac cardinalibus jam tum legitime discuteretur, obstabat decretum Urbani VIII, quo vetuit, ne id ante elapsos ab obitu quinquaginta annos

fieret, ad quod tempus complendum aliquot deerant anni, cum Josephus anno 1663 mortuus esset.

[119] [Clemens XI dispensat in annis ab obitu,] Difficultatem hanc, supplicante totius Religionis suæ nomine patre magistro Joanne Damasceno, Ordinis Minorum Conventualium, sanctæque Romanæ ac universalis Inquisitionis & sacrorum rituum Congregationis consultore, sustulit Clemens XI Papa, qui in Decreto die X Julii, anno 1711 dato, concessit, causam beatificationis & canonizationis dicti servi Dei, fratris Josephi a Cupertino prosequi, agi, & discuti posse super illius meritis usque ad totalem determinationem, non obstante, quod a die obitus illius, sequuti die XVIII Septembris MDCXLIII, seu &c, non sint adhuc elapsi quinquaginta anni, ad formam decretorum san. mem. Urbani octavi, quibus expresse in hac causa derogavit, & ita servari, prosequi, agi, discuti & terminari mandavit, dictis decretis, aliis constitutionibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Decretum hoc exstat tom. 2 Continuationis Magni Bullarii Romani, parte 2, pag. 435 & sequenti, unde hæc retulimus.

[120] [Clemens XII virtutes, Benedictus XIV duo miracula approbant,] Post sedulum de more examen Clemens XII Romanus Pontifex anno tandem 1735, die XV Augusti decreto suo virtutes illius in gradu heroïco approbavit, quemadmodum ex mox recensendis patebit. Inde ad miraculorum discussionem itum est, ex quibus Benedictus XIV feliciter regnans, die IV Octobris 1752 duo approbavit, per decretum, quod hic subjicio. Decretum summi Pontificis Benedicti Papæ XIV in causa Neriton. beatificationis & canonizationis Ven. servi Dei, Josephi a Cupertino, sacerdotis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. Postquam fel. record. Clemens XII noster prædecessor, præmisso sedulo, quo par erat, examine, constare rite decrevit de virtutibus tam theologalibus,

quam cardinalibus, earumque respective annexis, in gradu heroïco venerabilis servi Dei Josephi a Cupertino, sacerdotis professi Ordinis Minorum Conventualium, quemadmodum liquet ex decreto, ab eodem prædecessore edito die XV Augusti MDCCXXXV, alterum institutum fuit de more judicium super miraculis erutis a causæ postulatoribus ex processibus Auximano, Assisiensi, & Neritonensi, non solum ordinaria, sed etiam Apostolica auctoritate confectis, quorum validitas semel ac iterum fuerat approbata.

[121] Expensis igitur, ut assolet, iisdem miraculis in congregatione antepræparatoria, [cujus posterioris decretum,] habita die 2 Martii, & præparatoria, habita XVI Novembris superioris anni MDCCLI, superni factum est dispositione consilii, ut tandem congregationi generali coram Nobis cogendæ præstituta esset dies XIX (vide dicta num. 105) mox elapsi Septembris, qua Servus Dei, relictis in urbe nostra Auximana anno MDCLXIII mortalitatis exuviis, pretiosam in conspectu Domini mortem obivit. Ne in re admodum gravi ullæ desiderari possent. Apostolicæ Nostræ sollicitudinis & vigilantiæ partes, antequam dictæ generali congregationi interessemus, miraculorum probationes, ex eisdem processibus Apostolicis & ordinariis decerptas, rimavimus, allegationes postulatorum, & consilia medicorum, scripto pro veritate exarata, evolvimus, eosdemque postulatores, causam voce orantes suam, audivimus: consultorum deinde suffragia expendimus, illaque coram universo cœtu aperuimus; ac demum S. R. E. Cardinalium sententias diserte coram Nobis prolatas excepimus.

[122] Verum etsi compertum Nobis apprime fuerit, [die IV Octobris anni 1752 editum recensetur:] duo ex propositis miraculis, nempe secundum & tertium in ordine, fere communi voto consultorum, ac prorsus unanimi Cardinalium suffragio approbari, deliberationem tamen

Nostram in aliud tempus rejecimus, quo consultius rem expedire possemus non solum severioris Nostri studii accessione, sed implorata ex alto cœlesti ope ab eo, qui mentes hominum lumine suæ claritatis illustrat. Hac itaque die divo patriarchæ Francisco sacra, postquam provoluti ad ejus aram in basilica sanctorum XII Apostolorum, Omnipotenti Deo incruentum Sacrificium & Hostiam placationis obtulimus, duo præmissa miracula duximus approbanda; & hanc diem eum in finem elegimus, ut novis in diem pateat argumentis, sanctitatem in Franciscana familia, ab eximio conditore suo invectam, uberrimo Ecclesiæ gaudio in ejus alumnis adolescere.

[123] Primum miraculum, alias secundum in ordine, [puero incisus oculus, integer restituitur;] contigit Stephano de Matthæis, puero duodenni, cujus dexteri oculi pupilla, a coætaneo puero ictu squammosi & acuti lapidis vulnerata & transversum scissa fuit, sanguine aliisque humoribus adeo late manantibus, ut totius oculi orbita, seu bulbus, exsiccari, contrahi, & introrsum deprimi visa sit, ablata eidem Stephano videndi facultate. Medicus & chirurgus, qui actum de visione pronunciaverant, nonnulla ad paucos dies adhibuere remedia, curando tantum vulneri idonea; sed infirmus, erecto in ipsa cæcitate, hominum judicio non removibili, animo in venerabilem Josephum, domi primum ejus opem implorat, deinde una cum matre illius sepulchrum adit, preces ferventius ingeminat provolutus in genua, oculum lapidi sepulchrali admovet, & pristinam videndi facultatem in instanti recuperat, & intuentibus oculum exhibet, rotunditati & primævæ partium concinnitati restitutum.

[124] [genu periculoso tubere affectum subito sanatur.] Secundum miraculum, alias in ordine tertium, accidit Victorio de Matthæis. In dextero illius genu altas radices egit tumor cysticus seu folliculatus, qui spatio sex circiter annorum ex diuturno humorum aggestu in enormem ac

duram molem concretus, infirmum nec gradi nec genuflectere patiebatur, illumque assiduis angebat doloribus, acerbius ultimo ante sanationem mense sævientibus. Prægrandi huic tumori, & jam senescenti nulla umquam adhibita fuerunt remedia, nec manus accessit chirurgi, probe conscii, sine vitæ periculo admoveri non posse. Æger spe dejectus recuperandæ salutis ope humana, quo die cadaver Servi Dei, recens defuncti, in ecclesia sui Ordinis confluenti populo expositum erat, primum eamdem ecclesiam, deinde sacellum adivit, in quo venerabilis Dei Servus Missam privatim celebrare consueverat. Dexterum genu ac tumorem in ipso extuberantem admovet altaris suppedaneo, in quo ex diuturno orandi usu impressa apparebant vestigia genuum Servi Dei. Ex illo contactu momento temporis evanuit tumor, nullo cystidis, nulloque tunicati folliculi superstite signo in genu complanato, & ad motum prorsus expedito.

[125] [Idem Pontifex, in ulteriori congregatione habenda dispensans,] Hæc itaque duo miracula, tamquam tertii generis, approbamus; ac præsens approbationis Nostræ decretum manu Nostra subscriptum inter acta Congregationis referri volumus & mandamus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die IV Octobris MDCCLII, Pontificatus Nostri anno decimo tertio.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Locus ✠ Sigilli.

M. Marefuscus Sac. Rit. Congr. secretarius.

Approbatis duobus prædictis miraculis, idem summus Pontifex Benedictus XIV, supplicante reverendissimo patre magistro Carolo Antonio Calvi, ministro Generali ejusdem Ordinis, visaque favorabili relatione & scripto voto illustrissimi Ludovici Valenti, Fidei promotoris, ab ulteriori congregatione generali habenda benigne

dispensavit, utque ad formalem venerabilis Servi Dei beatificationem procedi posset, concessit per rescriptum datum die XII Decembris anni MDCCLII. Nec multo post, die scilicet XX Februarii anni proxime subsecuti, Breve Beatificationis ejusdem signavit, quod ex impresso Romæ exemplari subjicio.

[126] [per Breve die 20 Februarii anno 1753 datum] Breve beatificationis ven. servi Dei Josephi Cupertino, sacerdotis professi Ordinis fratrum Minorum Conventualium S. Francisci.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Æternus Dei Filius, etsi ante mundi originem, Patri coæqualis, æque semper regnaverit, in plenitudine tamen temporum ideo apparuit patefactus in carne, ut juxta prophetarum vaticinia collapsa reædificando, & diruta instaurando, regnum suum in ultimos usque terræ fines contra antiqui hostis tyrannidem erigeret & stabiliret. Quicumque igitur in hoc regno, quod ex omnibus linguis & populis colligendum erat, tamquam cives adscribi satagunt, illud violenter expugnare & assequi debent; cum hoc perpetuum edictum, & in omnem vitam ipsis promulgatum voluerit Christus Dominus, quod ignem venerit mittere in terram, & quod nihil aliud peteret, nisi ut accenderetur & arderet. Hoc cælesti igni mentes hominum undequaque instaurantur, cum ardore Spiritus sancti afflatæ & succensæ, terrenis cupiditatibus compressis atque devictis, in Dei amorem rapiuntur, atque in similitudinem imaginemque ejus conformantur.

[127] Divinæ hujus potentiæ locupletissimum testem habemus in venerabili servo Dei Josepho a Cupertino, [ipsum cum insigni elogio] Ordinis Fratrum Minorum S.

Francisci, Conventualium nuncupatorum, sacerdote professo, qui, cum in hoc regno ejus servituti se devoverit, veterem exuit hominem, & novum induit, & ducem & antesignanum Franciscum per altissimam paupertatem, per omnimodam sui abnegationem, per orationis instantiam, per crucis meditationem, per arcta silentia, & per longas inedias imitari contendit. Verum cum penitus intellexisset, quod, etiamsi tradidislet corpus suum, ita ut arderet, nihil illi prodesset, nisi charitatem habuisset; hinc factum est, ut in hoc primo & maximo Deum diligendi mandato cogitationes omnes, omnesque vires enixe conferret. Ex hac intima cum Deo unione adeo cor ejus divinæ charitatis igne corripiebatur, & incredibili internæ dulcedinis amore totum deflagrabat, ut in ecstases & raptus aliquando erumperet; & cum incola teneretur in terra, præ vehementissimo Dei disiderio tamquam domesticus haberetur in cœlis.

[128] Quapropter ejus nomen omnium sermone celebrari cœpit, [Beatorum catalogo] quod nec inaccessa loca, nec secretiora cubicula, in quibus quandoque moram obediendo traduxit, continere potuerunt; donec relictis Auximi in Piceno die XIX Septembris anno MDCLXIII inter sodales suos mortalitatis exuviis, ad æterna præmia vocatus, ad cœlestem patriam commigravit. Percrebescente itaque in dies ejus sanctimoniæ clarissima fama, ad Congregationem venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, sacris ritibus præpositorum, causa deducta est; ubi cum de virtutibus æstimandis juxta canonicas sanctiones quæstio de more haberetur, fel. rec. Clemens PP. XII prædecessor Noster XVIII Kalendas Septembris anni MDCCXXXV in gradu heroïco constitutas eas esse pronunciavit. Porro coram Nobis ad universalis Ecclesiæ regimen divina miseratione vocatis cum de miraculis disceptaretur, non absque supremo consilio factum esse censemus, ut ea ipsa die, videlicet die XIX elapsi Septembris, generalis

congregatio super hac re coram Nobis cogeretur, qua venerabilis Dei Servus sexagenario major, meritis cumulatus, mortalitatem explevit in terris, & immortalitatem inchoavit in cœlis.

[129] Duo ex miraculis, quæ discutienda proponebantur, consultorum suffragiis & venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium sententiis consentientibus, [adscribit, & assignata die 18 Septembris,] probanda esse censuimus, & decretum super eisdem Nostrum proferre & promulgare voluimus die S. Francisco de Assisio sacra, postquam ad ejus aram provoluti in basilica sanctorum XII Apostolorum de Urbe omnipotenti Deo Hostiam placationis obtulimus; quam diem eum in finem delegimus, ut sanctitatem, in hac Franciscana familia a Seraphico Parente suo invectam, uberrimo Ecclesiæ proventu in ejus alumnis in dies adolescere, novis atque mirificis argumentis constaret. Quapropter precibus tandem regum, episcoporum, aliorumque principum, necnon dilectorum filiorum Fratrum Minorum Conventualium, paterna clementia annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium idulgemus, ut idem Dei Servus Josephus a Cupertino in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusdem corpus & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur; ac de eo quotannis die decima octava Septembris, quam diem pro ejus festivitate celebranda præscribimus, sub ritu duplici minori recitetur Officium & Missa de Communi confessoris non pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii & Missalis Romani.

[130] [Missa & Officio in certis locis & a certis personis coli,] Recitationem autem Officii & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus tum in proprio Minorum S.

Francisci Conventualium Ordine, in quo solemni emissa professione, usque ad obitum permansit, tum in Ordine Fratrum Minorum ejusdem S. Francisci Capucinorum (inter quos per aliquot annos commoratus est) ac de Observantia, Reformatorum, Recollectorum, & Excalceatorum, ac Tertii Ordinis nuncupatorum, tum in oppido Cupertini, in quo Vir Dei in lucem prodivit, ac in tota diœcesi Neritonensi: in Nostris etiam civitatibus Assisii, illiusque diœcesi, Terra de Petra-Rubea diœcesis Feretranæ, Foro-Sempronii, & illius diœcesi, quæ loca suo incolatu ac virtutibus illustravit; tum denique in tota diœcesi & civitate Auximana, in qua ipse obdormivit in Domino; tum apud archiconfraternitatem sub invocatione S. Antonii Patavini in eadem basilica sanctorum XII Apostolorum de Urbe, & confraternitatem S. Stephani in civitate Assisiensi, canonice erectas, in quas cooptatus fuit, ab universis Christi fidelibus tam Regularibus, quam Sæcularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, & quoad Missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus, ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus.

[131] [& beatificationis solemnia celebrari permittit.] Præterea, primo dumtaxat anno datis hisce litteris, in ecclesiis Fratrum Minorum Conventualium, cæterarumque Franciscanarum familiarum, civitatum, terrarum, oppidorum & diœcesum, archiconfraternitatis & confraternitatis, hujusmodi solemnia beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio sub ritu duplici majori & Missa, die ab ordinariis respective constituta, postquam in basilica Nostra S. Petri in Vaticano peracta fuerint solemnia, nempe die XXIV currentis mensis, celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu &c editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo præfecti

ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique locorum, tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX Februarii MDCCLIII, Pontificatus Nostri anno decimotertio.

D. Card. Passioneus.

Ceterum eadem beatificationis solemnia die supra citato Romæ in S. Petri Apostolorum principis basilica Vaticana solito cum apparatu celebrata fuere, & ego magno cum animi solatio præsens spectavi. Nunc Vitam accipe.